Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Matthias Gesner

Io. Matthiae Gesneri, Eloqv. Et Poes. In Acad. Georgia Avgvta Profess. Pvbl. Ord. Academ. A Biblioth. ... Opvscvla Minora Varii Argvmenti

Tomvs II.

Vratislaviae: Impens. Io. Iacob. Kornii, MDCCXXXXIIII.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0001
DFG

XVI. XVI. 116 p
Pr. 117 — ~~500 p. Fud~~ 520 Fud
Pr. Cons. p. — 360, Fud
Fud. Pr. 108 p
62 p

Ex auctione b. Cons. Heringii
1750. comp.
A. I. D. Aepinus.
34 /.

Ex auctione b. Aepini
2 Rd 17 ßl.

A. b — 3178 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1853697567/phys_0002
DFG

IO. MATTHIAE GESNERI,
ELOQV. ET POES. IN ACAD. GEORGIA
AVGVSTA PROFESS. PVBL. ORD. ACADEM. A BIBLIOTH.
SEMINAR. PHILOLOG. ET SCHOLAR. MAIOR.
INSPECT. SOCIET. REG. SCIENTIAR.
PRVSS. SODALIS

OPVSCVLA
MINORA
VARII ARGVMENTI.

****

TOMVS II.

VRATISLAVIAE,
IMPENS. IO. IACOB. KORNII,
clɔ lɔ cc XXXXIIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0005
DFG

VIRO

ILLVSTRI ATQVE EXCEL-

LENTISSIMO

CAROLO STEPHANO IORDANO,

POTENTISS. PRVSSOR. REGIS

A CONSIL. SANCTIOR.

REGIARVM ACADEMIARVM

ET GYMNASIORVM

CVRATORI SPLENDIDO

S. P. D.

IO. MATTHIAS GESNERVS.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0007
DFG

Patere, VIR ILLVSTRIS, vt hic etiam legatur splendidum nomen tuum, quo cum exornasset clarissimus VHLIVS noster primam horum opusculorum partem, ea ipsa res illi pro hedera fuisse, et, quod metuebam, solitudinis fatum ab ea auertisse, videtur. Quidni enim ad tutelam eamdem se conferat frater, qua saluum esse fratrem natu maiorem intelligat? Equidem non metuo, ne hac tibi epistola molestiam faceſſam, cum ille tuus familiaris, amicus meus, qui sensum tuum probe nosse debet, libellos priores nostros tibi offerre non dubitarit.

Tanto etiam minus videri importunus possum, cum ipsa tibi muneris ratio suadeat ad minutias id genus conuertere nonnumquam oculos, et videre non modo quid per MAGNI REGIS, cui fidem addi-

addixisti tuam, prouincias in litterarum ac sapientiae maioribus officinis agatur, sed etiam, si quid geratur apud vicinos vestros, quod vel fugere, vel consequi et imitari e re publica sit.

Quod ergo corpusculum forte perlustratione dignaturus fueras, VIR ILLVSTRIS, si vndecumque allatum tibi esset, illud tanto minus contemnes, quum splendorem a nomine tuo et commendationem aucupatur.

Atque vtinam sint quaedam in illis, quae acerrimo iudicio tuo probari, et tuum mereri calculum possint! In talium enim virorum suffragiis plus, quam in multitudinis plausu, inesse veri honoris, semper existimaui. Quid? quod ipsa quoque multitudo sequi talia velut praeiudicia nonnumquam

solet? Et sane, si qui per se de litteris nostris iudicare satis perite non possunt, in eo tamen non fallentur, si putent, boni aliquid inesse debere illis libellis, quos IORDANO non ingratum munus fuisse, indiciis quibusdam cognoscant.

Erat nempe hic locus, VIR ILLVSTRIS, plura de ingenio tuo et doctrina, de virtutibus item tuis aliis, commemorandi. Sed habes praeconem scholasticis omnibus hominibus incomparabiliter maiorem, in illa statione ac praesidio collocatus ab eo rege, cui etiam inter ingeniosos et eruditos sapientesque viros regnum aliquando deferet posteritas: et collocatus non aliena commendatione, sed per te et vsu longo probatus ac cognitus. Quorsum ergo laudes hominum nostri ordinis?

suspe-

ſuſpectae praeſertim, certe apud illos, qui me non norunt, et ſpem aliquam interpretari poſſunt ſimplicem bonarum rerum admirationem. Tanto magis igitur fronti tuae parcam, VIR ILLVSTRIS, nec te morabor diutius, virum ſalubriter occupatum, anguſtiis temporum ipſe quoque, dum haec ſcribo, oppreſſus. Quod niſi ita eſſet, ſique haberem liberiora paullum a diuerſi generis negotiis tempora, olim profecto ſtuduiſſem inclutae apud vos Societati regiae declarare, quanti faciam honorem ab ea mihi habitum, et qualicumque opuſculo voluntatem certe meam legibus illius obſequendi comprobaſſem: quod officium differre cum alia quaedam me cogunt, tum aſſidua opera in Theſauro linguae Latinae collocanda neceſſario, niſi deco-

quere, et malum videri nomen volo. Hoc si me onere exsoluero, quod multo, quam putabam, maius me inueniſſe, non diffiteor, et viuere diutius contigerit; cum quid Plinio praestari a me possit, serio dispiciam, tum alia quaedam ad otium maturae aetatis reseruata conabor, tum hoc agam sedulo, ne plane inertem me sodalem illustris illa societas habeat, cuius meae promissionis, te, VIR ILLVSTRIS, interim vadem veluti dari, quaeso permitte. Bene vale, et felicitatem maximam, numen ac nutum suum annuente REGE PHILOSOPHO, litteris ac litteratis apud vos, quotquot ea professione non sunt indigni, procura.

Scrib. Gottingae a. d. VIII. Aug.

cIↃ IↃccxxxxIII.

XII.

XII.

PROGRAMMA

DE

CELEBRANDO NATALI REGINAE CAROLINAE.

Satis ex ſententia procedunt, quidquid inuidia comminiſcatur, Gottingenſis academiae principia. Nondum ſex menſes effluxerunt integri, ex quo auguſtiſſimi regis imperio apertae ſunt Muſarum apud nos fores: pauci adhuc ſumus, qui eruditas explicare merces ſtudioſis earum coepimus: nondum potuere, quae ad commoditatem nouorum ciuium prouidentiſſime inſtituta ſunt, ita perfici omnia, vt non hinc inde occurrant, quae temporis medicinam exſpectent. Et ſane cum arborum animantiumque maximarum minima ſint et contemtibilia admodum principia; cum celeberrimarum incrementa vrbium a tenuiſſimo initio exorta ſint; cum regnorum, quae deinde vix ipſa ſe ceperunt, humiles plerumque fuerint origi-

nes: intemperantis profecto fuerit postulare, vt eodem tempore et nascatur tam praeclara res, et perfecta numeris omnibus prodeat. Igitur non miramur, quaedam adhuc abesse nobis ad plenam, qua censentur litterariae vniuersitates, felicitatem: nondum numerum vel doctrinas promittentium, vel volentium discere aequalem aliis: nondum esse ephemeridas nostras (vnde enim annales nobis, qui vix menses aliquot numeremus?) actis litterariis posse impleri: haec, inquam, noua nobis et inexspectata non accidunt. Sed illud potius cum submissa diuinae prouidentiae veneratione admiramur, tot obiectas vndique difficultates, tot ingeniosorum hominum, successibus nostris inuidentium, lepida commenta, non potuisse rebus nostris ita officere, vt non valuerit Dei consilium, qui eam mentem augustissimo regi, auctori, patri nostro dedit, vt Gottingam nostram in posterum sedem hospitiumque litteris omnibus atque doctrinis esse iuberet; qui amicos regis et fidos consiliorum ipsius administros excitauit, vt summo studio atque enixa opera constantiaque singulari hoc agant; qui studiosum bonarum artium populum ea adhuc impleuit modestia, vt non tantum nihil adhuc habeant aliae academiae, in quo se nobis praeferre possint, sed etiam nos habeamus, vbi ad exemplum a nostris capiendum inuitare earum ciues queamus. Caeterum in ea, quam fassi modo sumus, doctorum paucitate, quae et ipsa paullo post cessabit, nihil tamen est temere, quod apud nos disci non possit. Neque eorum modo hic iuuenum copia est, qui primis doctrinarum, quae superiores vocantur, elementis velint imbui, sed etiam qui paullatim prodire

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0014
DFG

re gestiant, et collectos doctrinae fructus, spem quidem certissimam, ostendere. Non frigere apud nos humanitatis et earum artium studia, quas bonas vel pulcras Europae melior pars cum appellat, prope per se expetendas esse fatetur, luculentum modo specimen proferimus. Oratio habebitur panegyrica de eo argumento, quo nobilius esse nullum potest, a quo auspicari nos hoc sollemnium atque celebrationis genus, exoptatissimi ipsum auspicii loco est.

Exhilarat hunc diem et laetissimum nobis candissimumque facit natalis memoria SERENISSIMAE AVGVSTISSIMAEQVE PRINCIPIS AC DOMINAE, DOMINAE

WILHELMINAE CAROLINAE,

MAGNAE BRITANNIAE, GALLIARVM, ET HIBERNIAE REGINAE, DVCIS BRVNSVIGAE ET LVNEBVRGI cet. nascendi iure MARGGRAVIAE BRANDENBVRGICAE rel. REGINAE ATQVE MATRIS CASTRORVM NOSTRORVM INDVLGENTISSIMAE,

cuius in tantum virtus, et parta summis meritis gloria enituit, vt reginarum reginam qui dixerit, is a vero aberrasse minime videatur. Non ipsa modo exquisitum emendatissimae formae decus, natalicium prope pignus familiae suae, a teneris inde vnguiculis ea exornauerat modestia atque dignitate, quae vel sine magna forma capere maximi cuiusque principis animum posset; sed mentem etiam vere regiam illis innutriuerat cogitationibus sermonibusque et studiis, vt nihil non summum in eo quasi

fundo enaſci poſſe omnibus appareret. Adiunxerat illam erga populum, in quo viuebat, comitatem, vt ſpectaculum hominibus praeberi iucundius non poſſet, ad quod proinde, licet minime rarum, ſed quotidie fere propter incredibilem humanitatem expoſitum, ita confluerent, vt in magnis vrbibus, ad ea, quae vix ſingulis annis offeruntur, ſolet concurri. Inter haec maieſtatem ſatis tuebatur caeleſtis ille oculorum vigor, qui adiunctam haberet pudoris caſtitatiſque vere virginalis reuerentiam, cum contra ipſam intueri liberius nemo auderet, quin fulgore illo virtutis perculſus oculos animumque demitteret; tuebatur illa in maxima comitate elucens tamen digna principe, digna ſummo imperio grauitas: quibus rebus fiebat, vt amor ipſa quidem eſſet ac deliciae populi ſui, ſed ſimul eam religionem atque venerationem, quam ſanctiſſimae vmquam habuerunt ſtatuae atque imagines, apud omnes obtineret. Scribo ea, quorum mihi in prima adoleſcentia teſti eſſe licuit, et aegre a commemoratione diuellor earum rerum, quarum cogitatio non vna de cauſſa mira animum ſuauitate perfundit. Hic enim ſe campus aperit dicendi, quam praeclaris rebus regina diuinum animum ea tempeſtate impleuerit; quantum ipſi fixa intimis medullis doctrina de vero Dei cultu, qua vel naturae ipſius voce declaratur, vel diuinis prodita eſt oraculis, in maximis rebus profuerit; quam admirabiliter ceciderit, vt quod ipſa faſtigium religionis aduerſus immortalem Deum cauſſa deprecata fuerat, ad illud tamen deinde conſeruata pietate atque ſanctitate adſcenderet; quam felicitatem in domum regiam, regnumque adeo attulerit. Verum perfunctorie iſta tam magna

magna tractare, non temerarium modo, ſed prope ſacrilegium fuerit. Veniet forte aliquando tempus, cum continget eloquenti viro non cum gloria quidem reginae auguſtiſſimae paria facere, quae omnes omnium laudes ſupergreſſa ſit; ſed tam illuſtri documento perſuadere hominibus, et eſſe in regio ſolio virtuti locum, quam quaeſtionem fere dubiam fecit multorum peruerſitas, et virtuti comitem eſſe atque aſſeclam felicitatem.

Quem producimns hodie oratorem, generoſae nobilitatis adoleſcentem,

IVSTVM LVDOVICVM DE FABRICE,

EQVITEM LAVENBVRGICVM,

in quo Fabricius ſanguis atque ſpiritus virorum regibus ſuo merito carorum, et Fabriciae apud Romanos gloriae aemulorum, proferre ſe, atque clara ſui ſigna dare incipit, is nec ipſe totum laudum reginae auguſtiſſimae pelagus ingredi auſus eſt, ſed intra ea ſe ipſius decora continebit, quae cum litterarum et ſapientiae ſtudiis coniuncta ſunt. Quem vt beneuole audiant vir magnificus, cui academiae noſtrae commiſſa ſunt gubernacula, tum quidquid in hac vrbe eſt vel togatae, vel ſagatae militiae honoribus conſpicuum, in primis generoſi atque nobiliſſimi in ſacris litterarum certaminibus commilitones noſtri, non tam noſtris precibus, quam demiſſiſſimae in auguſtiſſimam reginam pietati ſuae dabunt. *Gottingae a. d.* $\frac{1}{12}$ *Mart.* clↄlↄccxxxv.

* * *

XIII.

PROGRAMMA
ACADEMIAE
ORATIONI SEQVENTI
PRAEMISSVM.

Videt et coram veneratur hoc etiam anno, quod vix sperare ausa fuerat, indulgentissimum parentem suum pia ac fidelis patria: laetatur salute atque incolumitate augustissimi

GEORGII,

cui salutem et incolumitatem se debere documentis infinitis intelligit: nuperam commorationem hilarem regi, salutarem rei publicae fuisse, vel ex hoc ipso coniicit, quod solito citius sacri vultus intuendi copia sibi datur. Exsultat hoc praesertim nomine ac triumphat, quod cum alias res illo tempore magnas institutas perfectasque constat, tum inter eas forte maximam, et non his modo terris atque hominibus, non Britanniae tantum regno, sed toti Europae saluberrimam, et in felicissimis temporum nostrorum euentis commemorandam.

Vidit quippe nuper Londinium, vrbium decus, spectaculum, quod intra ducentos et aliquantum amplius annos non viderat Britannia. Principem Walliae, regni florentissimi heredem olim, nunc hono-

honorem ac voluptatem, sponsum vidit regia vrbs, et nouum maritum salutauit laeta laetissimum felicissimumque. Rarissimum sane spectaculum, et ne in octauo quidem Henrico vsurpatum, quod vulgares libros quosdam si inspicias, existimare possis. Ille enim Walliae princeps cum esset, Catharinam, Catholici Ferdinandi filiam, quae ab Arthuro fratre vidua esset relicta, desponsatam sibi quidem a patre habuit, sed nuptiae eo demum tempore, quo solium iam conscendisset, celebratae sunt: nec ab ea inde tempestate nuptias principis Walliae spectauit Britannia. Quo magis arrecti atque intenti animis oculisque nuper fuerunt beatae vrbis ciues atque hospites, cum sereniſſimo principi

FRIDERICO LVDOVICO,

PRINCIPI WALLIAE, ELECTORATVS BRVNSVICENSIS ET LVNEBVRGENSIS HEREDI,

sponsa veniret exoptatissima, sereniſſima princeps

AVGVSTA

e Saxoniae Ducibus, FRIDERICI III. Gothae feliciter imperantis soror, SECVNDI autem FRIDERICI filia, virtutis omnis, quae in summi inter mortales loci virginem cadit, exemplum. Haec, fauente rebus nostris diuina prouidentia, sapienter electa, petita decenter, feliciter impetrata; deinde fausto itinere atque adspirante secundissimos per turbidum paullo post mare flatus eadem prouidentia, placide occurrentibus, et gratulantibus quasi Thamesis vndis, intra quartam decimam horam, ex quo a Belgico litore soluerat, celerrimoque adeo post hominum memoriam traiectu, excepta, et Grenuici exposita est, vbi primum im-

mortaliter est gauisus celsissimus illius sponsus, cum primum suis oculis videret, talem sibi sponsam a caelesti et gubernatrice rerum humanarum sapientia delectam, quae famam omnem, picturaeque ad veritatem factae venustatem, sua praesentia longe exsuperaret, et in cuius ingenio atque moribus perennem sibi et inexhaustum liquidissimae voluptatis, et ipsum animum diuina quadam suauitate permulcentis, fontem apertum, pro sapientia sua ac iudicandi de ingeniis facultate, intelligeret: quemadmodum contra ipsa eum sibi sponsum diuinitus contigisse, tacito cum gaudio, intimosque pertentante sensus, certis indiciis, et nihil eam fallente mentis praesagio augurata est, a quo in summo, quam capit vita, felicitatis fastigio collocaretur. Non potuit igitur fieri, cum paullo post per Lambethanos, et traiecto Thamesi per regios hortos in d. Iacobi palatium et conspectum regis et reginae delata esset, quin inter ipsam diuinam illam animorum conciliatricem modestiam emergens et intermicans laetitia adeò illam commendaret augustissimis soceris et adfinibus regiis, et quibuscumque praeterea nouae hospitis videndae esset copia, vt ab eo inde momento quasi adamantinis catenis deuinctos sibi omnes haberet. Numquam tota vita iucundius prandere se meminit sponsus sereniſſimus, quam illo ipso die, quo primum mensae suae in cubiculo suo adsidentem, cum sereniſſimo fratre et sororibus regiis, sereniſſimam AVGVSTAM suam habuit. Ab hac communi primum mensa, spe bona et futurae felicitatis cogitatione pleni, ad sumendum ornatum nuptialibus sollemnibus decorum consurrexerunt sereniſſimi principes, in quo praeter regias

copias,

copias, dignamque tantis opibus et illo die magnificentiam, albus etiam color, maiestatis, innocentiae, candoris, et liberalitatis index, conspiciendus esset. Sic inter plausus ab amore maximo et aequali gaudio profectos, ad altaria Dei et ipsum coniugii sacramentum, sponsus quidem celsissimus inter Wilmingtonum, sacri consistorii, et Scarboroughium, stabuli nuper, comitum principes, medius incessit; sponsa autem sereniſſima a celsissimo Cumberlandiae Duce, alacritatem illam prae se ferente et amabilem hilaritatem, quae delicias illum populi sui praestant, deducta est, regale syrma sustinentibus quatuor primae nobilitatis virginibus sumtuosissimo gemmarum cultu ornatis. Hic rem sacram faciente reuerendissimo episcopo Londinensi, inter suauissimos symphoniacorum concentus, et consentientia spectatorum vota, foedus ictum est sacrum, perpetuum, laetum ciuibus ac salutare, tremendum hostibus atque aemulis, toti terrarum orbi et serae posteritati, ad fructus vberrimos et felicitatem gentibus inde orituram, insigne et commemorandum. Videres pulcriores inde et augustiores redire sponsos felicissimos, quos triumphans laetitiis omnibus pompa, per confertissimam in atriis spatiosissimis hominum magnifice vestitorum turbam, in triclinia reduxit regia; vnde post coenam, quae claritatem istius diei deceret, in nuptialem thalamum deducti sunt, quem non minus, quam reliqua huius diei sollemnia, augustum splendidissimumque reddidit regis ipsius et reginae praesentia atque comitas, cum ipse filium, nurum ipsa vestibus exuerent, et in geniali toro suis ipsi manibus, inter pia oscula et amplexus, laeti laetos col-

locarent, ac deinde cum regia familia torum ipsum circumstarent, spectatum gratulatumque admissis ad horae circiter spatium omnibus felicis aulae incolis. Exoptatissimam noctem vrbs tota per laetitiam et plausus celebrauit, quos tormentorum fragores, et campani aeris sonitus, accensique locis omnibus ignes et lumina, et si qua praeterea publicae hilaritatis vel signa sunt, vel incitamenta, subinde instaurarunt. Nullum autem luculentius erigi ad gaudia hominum prouocanda signum potuit, quam quod eo, qui primus post nuptias illuxit, et proximis aliquot diebus, non modo gratulantes primorum ordinum incredibili comitate atque alacritate, plenae cuiusdam felicitatis indice, noui coniuges celsissimi exceperunt; sed eodem etiam curru per vicos vrbis inuecti, sui videndi salutandique copiam omnibus, etiam infimis, fecere. Itaque in horas adhuc pene singulas creuisse narrant, quibus e proximo videre illa contigit, hinc admirationem diuinae cuiusdam virtutis in regia nuru, verni floris in modum, magis magisque explicantis se atque demonstrantis; hinc amorem coniugum nouorum mutuum, magis iam vt oculis se arbitrorum subducat, frustra quidem, laborantem, quam vt se prodat apud alios ambitiose studentem; hinc regiae totius domus alacritatem et laetitiam, ad omnes tum vrbis tum regni ciues, instar exundantis cuiusdam maris, se diffundentem: quam quidem non efficiam ab adulatione, aut tristi quadam gaudendi necessitate expressam, sciunt, qui ingenium gentis, qui temporum felicitatem non ignorant. Scilicet, quemadmodum inter summa, quibus PRIMVS GEORGIVS populos suos adfecit, beneficia vel maxi-

maximum illud fuit, quod talem genuit et formauit, qualem illi nunc maximo suo bono habent, ac fruuntur; quemadmodum ipse potentissimus rex noster illa re immortaliter de ciuibus suis omnibus promeritus est, quod ex se et CAROLINA natos, eaque disciplina, qua nulla cogitari potest melior, imbutos liberos, futurae tranquillitatis pignora, dedit rei publicae: sic profecto maxima res acta est, nec vana gaudendi nata materies, cum inducta in domum regiam AVGVSTA nuru, iustissima spes exorta est continuandae, atque ad seros posteros propagandae illius felicitatis, qua nunc placide fruitur conscia bonorum suorum et modeste illis vtens Britannia. Si igitur nemo sanus est in tanto imperio, quin salutem ac dignitatem Britanniae, et Europae otium in eo contineri arbitretur, si ad Hannoueranae domus formulam porro administretur res publica: potestne res gratulatione dignior euenire Britannis, omnibusque adeo, quibus sub placido et miti principum nostrorum imperio adquiescere contigit, quam firmata auspicatissimis nuptiis fiducia continuandae per posteros, magnis et beneficis parentibus simillimos, publicae securitatis. Est illa ingenuae et piae cuiusdam voluptatis plena cogitatio, quae animum nostrum non numquam subit, quod publicam vtilitatem regnorum ac nationum ita priuatis principum commodis innexam diuinitus implicitamque obseruamus, vt tanto ipsi sint feliciores principes, rebusque omnibus beatiores, quo maius studium ad rem publicam tuendam ornandamque attulerint, et ipsa, ab altera parte, imperantium felicitas maximum ad ciuium commoditates momentum adferat. Habet hoc GEORGIVS

GIVS rex, quem Deus amet, et bonis omnibus augeat! habet igitur hoc quasi praemium curarum suarum, et impensorum in publicam rem laborum, vt parta per ipsum felicitate fruituros nepotes suos, et qui ab his nascentur, augurio minime fallaci praecipiat, et gaudio atque bona spe, senectutis, ad quam peruenire ipsum votis omnibus optamus, fomento iucundissimo, inde adficiatur. Habent hoc ex laetissimis Hannoueranae domus incrementis, qui modeste illi parent populi, vt similes optimis, natos nimirum nascendosque ex optimis, educatos item ab optimis et educandos reges, quasi iure suo suis posteris exspectare, et iucundissimum illis spectaculum, improbas aemulorum spes in perpetuum refutatas prostratasque, polliceri possint. Sed quantum bonorum ex fortunatissimo FRIDERICI nostri, et AVGVSTAE, quod mirifice gaudemus, iam nostrae, coniugio ad publicam rem redundet, explicare, quantum eius fieri potest, conabitur

IO. MATTHIAS GESNERVS,

collega noster, eloquentiae et poëseos professor publicus ordinarius. Fatetur ille quidem, vehementer se laborare in digna tantis rebus oratione inuenienda: sed illam certe commoditatem ipsa argumenti dignitate consequutus est, vt, si etiam quantum potest dicendo conisus fuerit, tamen excessisse modum, et vltra quam par est auxisse rem vel ornasse, nemini temere videatur.

Passi sumus aliquantum temporis inter ipsa augustarum nuptiarum sollemnia et nostram gratulationem intercedere, non vulgari nos quidem excusatione

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0024
DFG

tione freti, quod sera quoque gratulatio reprehendi non soleat; sed eam praesertim ob caussam, vti simul purpuram indulgentissimi regis nostri ex proximo adorare, et patriam suam atque nostram benefici sideris instar reuisenti subiectissimae pietatis honorem habere possemus. Huius igitur pietatis nostrae et publicae gratulationis duplicis interpretem, *illustrissimi comites, collegae optimi, carissimi ciues, et quidquid Gottinga habet honoratorum hominum, et a Musis non auersorum*, audituri die proximo Iouis

A. D. XXI IVNII, HORA X.

IN AVDITORIO MAGNO

conuenite, et vota nobiscum facite, vt laetus Germanicis populis suis interfit rex augustissimus, vt auspicatissimarum, quas nuper celsissimo filio parauit, nuptiarum fructum capiat exoptatissimum, vt nepotum ex hoc et celsissimae Ducis Arausionensium coniugio suorum, filios et qui ex his nascentur, felicissimus ipse videat bonis rebus omnibus circumfluentes et ex omni parte beatos, atque in illis rediuiuam tum suam, tum diuinae CAROLINAE suae imaginem summa sua cum voluptate adspiciat et complectatur. Satis hoc modo, satis beati nobis ipsi liberique nostri videbimur, qui nihil adiici partae per GEORGIVM temporum felicitati potuisse censemus, praeter illud, quod his ipsis nuptiis consequuti sumus, continuandae altero quoque saeculo prosperitatis fiduciam. *Gottingae a. d. 17. Iunii.* clɔ lɔ cc xxxvi.

*** *** ***

XIIII.

XIIII.
ORATIO
QVA
GEORGIO II.
PRAESENTIAM IN GERMANICA PATRIA
ET
NVPTIAS
FRIDERICI
WALLIAE PRINCIPIS
CVM
AVGVSTA
GRATVLABATVR
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA.

Cum caeteris in rebus laudari se homines, hoc est, de bonis suis praedicari, adeo aegre non ferant, vt potius omni studio ad gloriam incitentur, laudarique se et sua omnia vehementer gaudeant, easque laudes ne vitae quidem terminis circumscribi velint, sed ad omnis posteritatis memoriam propagari: qui fit

MAGNIFICE COMMISSARIE
ILLVSTRISSIMI COMITES
VIRI ILLVSTRI AC REVERENDA DIGNITATE, EXCELLENTISSIMA DOCTRINA,

NA, AMPLISSIMIS MERITIS CONSPICVI, SVIS QVISQVE NOMINIBVS AC VIRTVTIBVS HONORATISSIMI,

qui fit,

GENEROSI ATQVE NOBILISSIMI COMMILITONES, DECVS NOSTRVM, ET VOLVPTAS VNICA,

vt felicitatem ſuam, quam in bonis tamen vel maximis ponerent, multi ſemper fuerint, qui verbis extolli, aut commemorari adeo nollent. Poſſem ego, ſi ſchola nunc habenda eſſet, aut doctrinae antiquae oſtentanda ſupellex, a Pythagora inde ac Solone facto initio, ſententias et exempla proferre hominum, qui ſapientes omnium iudicio haberentur, et iidem a felicitate vel ſua vel aliorum praedicanda vehementer abhorrerent; poſſem de Nemeſi dea, quam Rhamnuſiae nomine placabant Attici, de auertendis faſcini, hoc eſt, ſi rem prope videas, caeleſtis inuidiae malis, et quae ad eam rem ridicula partim, vana quidem omnia, commenti ſint, referre: poſſem Romani oratoris religionem, et quam ille ſuſpenſa manu ad tractandam Pompeii Magni felicitatem veniat, commemorare. Sed fontem potius illius rei paucis verbis in praeſentia lubet aperire. Ineſt ille, quod non dubito equidem, in ea humani ingenii ratione, qua diuinam naturam ex ſuis vel virtutibus vel vitiis aeſtimare ſolent, et quibus ſe rebus in hanc vel illam partem adfici ſentiunt, eas eodem modo ad ſupremae illius naturae ſenſum allabi arbitrantur. Iam quid frequentius inter homines illa contentione, qua aegre patiuntur eminere alios; qua ii praeſertim, qui faſtigium quod-

quoddam consecuti sunt, eodem alios, quantum possunt, arcent; si quae sunt humiliores animae atque ieiunae, in vniuersum bonis alienis dolent, et iniquis oculis adspiciunt aliorum, innoxiam licet sibi, felicitatem. Vitium hoc, et vt mitissime loquamur, aegritudinem hanc animi, ad ipsam deinde Dei naturam transferebant, et eum, qui totus amor est, totus vt supra metum ita supra inuidiam positus, sacrilegis vocibus malignitatis cuiusdam postulabant. Porro quod accendi inuidiam nostram iactatione bonorum alienorum et superba commemoratione animaduerterent, et contra placari eamdem, nocendique cupiditatem retundi non alia facilius ratione obseruarent, quam si ille, cui inuidebatur, ad humiliorem conditionem redactus, vel turpitudine aliqua ridiculus contemnendusque adeo videretur: etiam in hanc stultitiae humanae partem vocare Deum ausi, varia commenti sunt, quibus vel irritaretur illa Nemesis, vel contra mitis et placata redderetur. Hinc illae inuidiae deprecationes, hinc in sinum despuendi suum consuetudo, hinc ridicula illa et turpia amuleta, hinc denique, quod meticulosa quadam cautione, et religione misera, de sua pariter et amicorum felicitate loquerentur. Nos rectiora olim edocti, AA. adeo non offendi Numinis diuini maiestatem secundarum rerum nostrarum commemoratione arbitramur, vt eum potius verissimum illius hymnum censeamus: nisi forte putare fas est, irasci Deum his, qui opera sua praedicent. Sed alia quoque caussa subest, cur verbis extolli fortunas suas quidam nolint. Putant virtutis suae laudibus decedere, quidquid fortunae adsignetur. Sed hi fere sunt, qui

qui suae sibi ieiunitatis conscii, quamque tenuis sibi sit et parca propriarum laudum materies, non ignari, cum puluisculo colligi velint omnia, et ne quid omittatur vsquam, misere metuunt. Generosae contra mentes, et decorum suorum securae, quem ad modum nihil alienae sibi laudis arrogant, ita facile patiuntur de diuinis in se aliosque beneficiis, haec enim, si rem putemus, est felicitas, verba fieri. Quae cum ita sint, AA. cumque amplissimi senatus decreto oratio mihi habenda sit, qua praesentiam augustissimi regis nostri, et auspicatissimas celsissimi Walliae Principis nuptias, prosequatur deuota numini maiestatique regiae academia: nihil dubitaui argumentum illud sumere, quod primum cogitanti vndique se ingereret. Inuisit Germaniam suam rex potentissimus; familiam suam indulgentissimus pater inspicit; venit cum integro virtutum suarum comitatu; iustitiam secum suam adducit, amorem suorum, liberalitatem, pietatem, sapientiam, hoc est, totidem publicae felicitatis architectas quasi et effectrices. Valet communis pater noster animo et corpore, ac longae nobis vitae suae, crudaeque aliquando senectutis, moderatione sua atque temperantia spem facit, hoc est, continuandae per plurimos annos secundum vota nostra eius, qua nunc fruimur, prosperitatis. Nuptias nuper celebrauit filii, cuius ipso adspectu, patris imaginem referente nimirum, recreantur populi, cuius cogitatione tristem mortalitatis cogitationem consolantur: huius, inquam, nuptias celebrauit GEORGIVS, id est, spes nostras, atque tranquillitatis futurae fiduciam, ad pignorum etiam nostrorum et alterius tempora saeculi produxit. Quid inter haec tot ac tanta pu-

blicae laetitiae argumenta in mentem venire aliud orare iusso potest, quam felicitatis cogitatio? Potestne ea vel cuiquam nostrum grauis esse, vel ipsum summum bonorum nostrorum auctorem atque munerarium, Deum, offendere? Sed mihi nimis graue onus fuerit, si quae tetigi modo leuiterque perstrinxi felicitatis argumenta, pro dignitate persequenda sint omnia. Circumspiciendus erat modus quidam, intra quem se contineret oratio. Delecta est illa pars nostrae prosperitatis, quae longissime in futurum prospicit. Praesentiam patris nostri indulgentissimi ita celebrabimus, ita gaudebimus ipsius incolumitate, vt maxime tamen dicamus

de felicitate ciuium GEORGII II. *ex nuptiis celsissimi* PRINCIPIS WALLIAE.

Neque vero opus esse videtur, AA. vt audientiam a vobis humili oratione eblandiar. Dabitis enim hoc, scio, vestrae in publicum patrem eiusque sereniſſimum filium pietati, quin ipsi in patriam communem amori, vt libenter de rebus secundis nostris verba facientem audiatis, et, si qua minus commode videantur dicta, ea incitata ab ipsa laetitia mente, vel non animaduertatis ipsi, vel immoderatius gestienti excidisse, cum quadam ad ignoscendum facilitate existimetis.

Si, quae promisi vobis, AA. altius descendere in animum nostrum, et non tumultuosam tantum exsultantemque temere laetitiam excitare, sed solidae cuiusdam durabilisque voluptatis praebere fundamenta velimus, paullo res altius repetenda est. Hic ego non exilem vobis perplexamque felicitatis finitionem inculcabo. Conscii nobis sumus omnes, in

conci-

concilio quodam et consensu rerum et euentorum plurium extra potestatem nostram positarum, quibus rebus atque euentis ea consequamur, quae maxime optamus, positam esse illam, quam animo informatam habemus, felicitatem. Sed res ipsa notior scilicet est, quam vt finiendo possit declarari. Illud potius est, vt ipsam regiae domus felicitatem, vnde nostra manat, verecunde nos quidem, libere tamen, vt decet saeculum GEORGII, paucis describamus. Fortunatam aio regnatricem Magnae Britanniae domum, illo ipso primum nomine, quod regnatrix est. Inspicite quaeso, qui non in praesenti memoria habetis, ne ascendam altius, generis atque stirpis Britannorum regiae tabulas. Deprehendetis, Elisabetam, Iacobi primi filiam, quae in Palatinam domum innupsit, non ita multum spei attulisse vel perueniendi aliquando ad fastigium, in quo patrem vidisset, vel heredes illius solii pariendi. Porro inter ipsius tredecim liberos, si quis sperare aliquid de Britannia posset, ad quem spec illa pertinuisse videbitur? vtrum ad SOPHIAM filiam ipsius liberornm nascendi ordine duodecimam? ante quam praeter quinque sorores nati essent, fratres sex ad iuuenilis robur aetatis omnes adulti? vtrum ad huius filiae posteros, quae septimum et vicesimum aetatis annum iam egressa erat, cum de nuptiis illius cogitaret ERNESTVS AVGVSTI, e Brunsuici et Luneburgi Ducibus Osnabrugensis Episcopus, quartus fratrum suorum, qui mariti omnes, duo etiam patres tum essent? cuius adeo liberis posterisque non nisi tenuis et remota longe spes Guelficae hereditatis erat relicta, nedum vt de summo rerum etiam Britannicarum fastigio in mentem venire illis posset.

Sed quod nepotibus suis sperare ipsa improbum putauerat, hoc ipsa vidit sapientissima Princeps et felicissima. Vidit maritum suum Calenbergici Ducatus defuncto IO. FRIDERICO fratre heredem; vidit S. R. I. Electoratum ab eodem marito suo domui huic primum illatum; vidit Cellensem etiam Ducatum imperio filii sui adiunctum; vidit diuersas Guelfici olim patrimonii partes longissimo post interuallo et postliminio quasi ad familiam, cui innupserat, Guelficam, redeuntes; vidit denique tribus post mariti obitum annis, saeculi huius autem primo, lege sollemni senatus populique Britannici delatam ad se suosque posteros regni florentissimi successionem: et vidisset, si ad duos menses producere vitam illi licuisset, aut quartum et octogesimum vitae annum, qui non longe a meta illi currebat, implere, ipsum capiti suo impositum diadema, quod ANNA regina, saeculi nostri anno quarto decimo, reliquerat. Vidit interea, quod longe maximum est, filium, nepotem, pronepotem, reges, nondum illos quidem sceptris in manus traditis, sed declaratos pleno successionis iure reges, ingenio, dignitate, rebus gerendis late reges, et felicitatis alteri saeculo auctores futuros ipsos fortunatissimos. Felicitati ista cum adsignauimus, AA. nemo ita calumniator erit, qui excludi a nobis prouidam supremi Numinis curam dicat, vel illud mussitet, quod Hadriani VI. Rom. pontif. elogio atque imagini adscriptum fuisse aiunt, *hic Deus nihil fecit.* Cum enim ea, quae extra potestatem nostram posita, secunda et ex voto nobis eueniunt, vel ob id ipsum, quod potestati nostrae exemta fatemur, diuinae prouidentiae tribuamus: tum in hac ipsa Brunsuicensis domus felicitate apertissima

tissima gubernatricis rerum humanarum sapientiae vestigia deprehendimus. Voluit illa regnum esse, in quo praestantissimum libertatis genus, Deum pro suo captu et absque factione colendi facultas, seruaretur incolumis, quodque illi, quam Roma parat atque intentat populis omnibus, seruituti, propugnaculi cuiusdam robustissimi instar, obiiceretur. Deprehensum est in Britannia aliquoties, quantum reliquae etiam libertati periculum ab his immineret, qui ipsum inuadere caput atque arcem libertatis, et animo atque religioni iniicere vincula auderent. Iure populus ingeniorum gloria secundus nulli, plerisque superior, excussit tandem illum intentati toties iugi metum, a regnandi apud se omni spe excluſit, quicumque profiterentur, esse aliquem humana specie, et humanis saepe vitiis obrutum, potestate ac maiestate Deum, qui plus etiam, quam ipse rerum auctor moderatorque Deus postulet, quippe qui imperare audeat, vt verum toto pectore putemus, quod falsum esse norimus, qui possit efficere decretis suis, vt dixerit aliquis, scripserit, cogitauerit, quod numquam in mentem illi, vel os, vel calamum venerit: hunc qui prono obsequio colere, huius qui in verba, neque cognita sibi, neque intellecta, iurare, et secus sentientes ferro, flamma, ope omni oppugnare, exstirpareque si possit, funditus, nolit; illum, vt a sancta Christianorum ciuitate excluſus oberret, quin per cruciatum pereat, aeternisque etiam post mortem suppliciis mactetur, commisisse. Felicem ter et amplius populum, qui superioris crudelitatis horrore libertatem sibi suam praeclara adeo lege, et vindicauit, WILHELMO et MARIA auspicibus, et in posterum constabiliuit

non tam ipsa lege, quam illa, quae ex lege consequebatur, serenissimae SOPHIAE, et posterorum illius successione introducta: in qua illud, gubernante ita diuino consilio, intellectum est, frustra iactari ab Romanae aulae obnoxiis perpetuam quamdam magnificamque eorum, qui iugum illud subeant, felicitatem. Illud enim apparet: nisi plures ex Elisabetae, Iacobi filiae, posteris ad Romana illa sacra transiissent, qua in re quid spectauerint, penes ipsos existimationem relinquimus; et nisi Sophia illa sapientissima in ea, quam a maioribus acceperat, libertate perseueraſſet: humana quidem sapientia non perspicit, quomodo id futurum fuisset, quod iam a Deo populorum felicitati concessum videmus, regnare GEORGIVM, et salutem populorum cum magna totius Europae commoditate suaque immortali gloria administrare. Non magis itaque serenissimam SOPHIAM suae constantiae poenituit, quam male cessit augustissimae CAROLINAE, quod sollicitationibus quorumdam hominum, hinc religiosam seruitutem, hinc splendidissimum diadema ostendentium, fortiter restitit, exemplum ad omnem posteritatem futura, vt diuinae cuiusdam sapientiae ac virtutis, sic etiam rarae felicitatis, qua non modo nurus, vxor, mater, auia regum celebrabitur apud posteros; sed magnam ipsa partem publicae tranquillitatis sua prudentia, comitate, humanitate, ac robore animi vere heroico, effeciſſe. Felicitatem in his rebus reginae nostrae praedico. Neque enim profecto hominum ingenia et mores regere, et ad fines, quos statueris, applicare, ex eo genere artium est, quae circa res versantur necessitate quadam coniunctas, et inuitabili consequentia copulatas, quas

res

res proponere, definire, diuidere, componere, praedicereque adeo quid efficiatur, possis, vt ea, quae numeris lineisue vel rectis, vel curuis continentur, in quibus proinde, certum facilius obtinetur, error excluditur. Contra ea semper casus, semper fortuna, hoc est, semper diuina prouidentia, regnat in iis, quae voluntatibus hominum et actionibus constant. Neque vero ita iniquus erit quisquam, qui tantum derogari a nobis putet prudentiae, quantum tribuimus prosperitati. Numquam profecto ea effecerit stupor, imprudentia, temeritas, quae GEORGIVS vterque suis praestitit, praestat, ciuibus: numquam ita animis imperauerit regina, si qua sit nostrae dissimilis, vt eos ad voluntates suas adiungere, sicut ipsa, possit. Sapientiae ista sunt opera; et tanto nobis carior GEORGIORVM alterius memoria, vita alterius atque incolumitas; tanto magis CAROLINAM studiis nostris votisque complectimur: quo plura diuinae cuiusdam sapientiae illorum specimina habemus. Sed verum etiam illud est, felicitatem diuinitus adiunctam esse huic familiae, praemium recti illius et intenti ad publicam salutem et veram gloriam animi: qua factum est, et fit, et fiet, vt volentibus imperent et gaudentibus, qui apex est prosperitatis; et si qui moliri contra aliquid audeant, ii ab euentu destituti perficere destinata non possint. Similis prope ratio est eorum bonorum, quibus fruuntur, qui parent regibus nostris; quae cum sapienti et magnifica regum opera contingere dicimus, non excludimus fortunam: sed nec sapientiae et bonitati regiae detractum imus, quum in eisdem felicitatem ciuium agnoscimus, hoc est, diuinam prouidentiam. Sentiendi

illa, et quod sentias eloquendi libertas, quae calumniandi propter sententias, et opprimendi homines alioquin innocentes facultatem reprimit ac retundit, haec inquam Britannicorum ciuium libertas, ingeniorum nutrix et magistra inueniendi, in regis nostri summis haud dubie numeranda beneficiis est: sed id ipsum ad felicitatem ciuium pertinet, quod eum illis regem, quod regi illam mentem, dedit Deus, vt Deo, quod suum est, animorum ius, et conscientiarum arbitrium, relinquat. Ex eodem genere est, quod aliis quoque rationibus cultum ingeniorum promouet sapientissimus rex noster, cuius, inter innumera alia, vnum maximum argumentum habemus, hanc ipsam academiam, sed de qua tacere hic praestat, quam vel parce nimis ac tenuiter, vel ad inuidiam vsque vere, commemorare: sicut neque de regina hic dicimus, quae si prisco vixisset aeuo, Mineruam rediisse terris, et inter homines praesentem versari, non poëtae, sed seueri homines arbitrarentur. Ex eodem porro genere est commerciorum, negotiandi, et artem cuiusque suam nemine impediente exercendi libertas, qua incitatur diligentia, atque industria accenditur, artesque omnes poliuntur magis magisque et perficiuntur, praesertim in illa ab auaris asperisque tributorum exactionibus immunitate, quorum necessitatem praeuertit regia, quae maximi vectigalis instar est, frugalitas: qua fit, vt sibi arare se, sibi serere ac metere, sibi se suscipere alereque liberos, sibi suisque procurare commoda, cum sciant homines, tanto alacrius ac laetiore studio aggrediantur omnia, et succedere sibi experiantur. Sunt illa omnino indulgentissimi patris patriae beneficia, sed ideo non desinunt esse mune-

munera diuinae prouidentiae, hoc est, fortunae. Hoc quidem minime dubium est, tanto nos esse beatiores, quanto illi succedant omnia melius, quanto plura ipsi ex animi sui sententia contingant. Quandoquidem enim omnes ipse actiones suas, studia, cogitationes, ad magnam quasi familiam suam tuendam ornandamque refert; apertum est, quidquid fortunate ipsi eueniat, illud ad magnae huius familiae res secundas pertinere. Inuisit ad Germanicos ciues suos GEORGIVS, Britannis interim sapientissimae reginae commendatis. Scilicet hoc declarat, Germanicis etiam ciuibus optime se cupere, libenter in illorum quasi sinu versari, salutem illorum procurare, delectarique spectanda illa ex proximo. Aduentus igitur regis nostrae felicitatis pars est, quem cum illi gratulamur, nostra praedicamus commoda, nostra nobis bona continuari diuinitus optamus. Late patet, AA, ac diffusa est ista ratio: atque alteram quoque gratulationis nostrae partem continet. Inter ea, quae a mutis animantibus nostrum seiungunt genus maxime, futuri etiam cogitatio est, quod cum voluptate vel dolore, cum spe vel metu, praecipimus et quasi occupamus; cum nihil illa, quod quidem obseruari possit, olim futuris vel bonis vel malis commoueantur. Haec futuri praesensio eam habet vim, vt praesentem quidem molestiam leuet, ac tolerabiliorem reddat futurae felicitatis cogitatio; sed metus etiam imminentis magnae cuiusdam incommoditatis praesentis fructum gaudii corrumpat: adeo quidem, vt qui miserrimi videantur in praesens, futura vnice spectanda felicitate tranquilli sint, alacres etiam, et ob id ipsum beati; contra ea miseri et calamitosi alii in media rerum, quae bonae

putantur, omnium adfluentia, propter eam, quam ſibi, ſaxi cuiuſdam more minantis ruinam, impendere vel norit, vel fingat animus, calamitatem. Quae cum ita ſint, informate, AA. animis populum, cui rex contigerit magnanimus, ſapiens, felix, beneficus autem ita, vt in hoc ſe ſolo maiorem credat aliis ac beatiorem, quod maiorem habeat bene quam plurimis faciendi facultatem; ne multus ſim, regem cogitate GEORGII noſtri quam ſimillimum. Sed nunc illam etiam adiungite cogitationem, vel orbum eſſe liberis bonum illum regem, dubiumque vehementer, quem aut qualem aliquando poſt contentionem ciuilem ac caedes ſucceſſorem habiturus ſit; vel habere illum quidem liberos, ſed turpes, iniuſtos, immanes, ſed noſtri regis liberorum quam diſſimillimos. Poteritne liquida ſatis et ſincera voluptas ex optimi illius regis beneficiis ad ciues peruenire? poteruntne ſolidum gaudere gaudium? nonne interueniens laetis illis atra futuri cura omnium praeſentium commodorum ſuauitatem inficiet, et triſti quadam amaritudine corrumpet? Nonne vnumquodque regis illius optimi beneficium, praeſertim ſi is aetate aliquantum ſit prouectior, aut imbecillior viribus, ciues admonebit, quam triſte futurum ſit non ita multo poſt tam praeſtantis boni deſiderium? Nonne amittendi metus dulcedinem fruendi omnem intercipiet? cum fieri non poſſit, quin tanto acerbior animis malorum ſenſus accidat, quanto maiorum illi bonorum voluptate ante perfuſi et quaſi deliniti fuerant. Iam redeamus animis, AA. ad noſtrum regem, ad regis noſtri familiam. Non poteſt, quod nemo noſtrum non gratus agnoſcit, cogitatione atque animo infor-

informari GEORGIO nostro melior. Quantum igitur illud esse putamus, quod altera illa cura leuati; spem certam animis concipere possumus, propriam futuram nobis, (faue Deus pietati!) propagandamque etiam ad liberos posterosque nostros illam felicitatem. Meruerat propter diuinam virtutem CAROLINA, si sola fuisset, si orba, amorem omnium atque admirationem. Verum enim vero immortaliter hoc etiam nomine, Deo quidem fortunante, de genere humano est promerita, quod peperit GEORGIO GEORGII suique simillimos vtriusque sexus liberos, qui non sanguinem modo illum purissimum Germaniae generosissimumque, non illud modo decentissimi, et regiam dignitatem adspectu ipso prae se ferentis, corporis praeclarum instar; verum illam quoque summae virtutis indolem ab vtroque parente acceperunt, hauserunt, expresserunt: quod regiam subolem institutis, praeceptis, sententiis, moribus denique illis a tenerrima inde aetate vel imbuit ipsa, vel imbuendos curauit, quibus et ipsi beati esse, et felices reddere alios possint, si quis vel sancto connubii vinculo adiungatur iis, vel ipsorum aliquando imperio subiiciatur. Hic igitur primus quasi spei nostrae de futura etiam felicitate gradus: cui nouum succedere laeta iam fiducia videmus, id quod ipsum alterum hodiernae gratulationis argumentum est. Nuptias auspicatissimas celsissimi Principis ac domini, domini FRIDERICI, Principis Walliae, Electoratus Brunsuico-Luneburgici heredis, domini nostri indulgentissimi, cum sereniſſima Principe ac domina, domina AVGVSTA, e Ducibus Saxoniae, dominae nostrae et ipsius indulgentissimae laeti alacresque celebramus:

qua

qua in re ipsa nobis mora, quae reprehensione alioqui forte non careat, commode et ex animi sententia euenit. Si enim ipsum nobis earum diem obeundum sumsissemus, non ita plenis gaudii fiduciaeque velis inuehi nobis licuisset, cum nondum constaret, interueniissetne forte aliquod maris infortunium, aut alia ex transuerso calamitas, quae speratam nobis felicitatem interturbaret, vel spes nostras in herba quasi elideret. Iam cum peracta omnia feliciter nobis constat, cum ita breui tempore coaluisse animos magnorum sponsorum nouimus, vt illa nobis consociatio plus bonorum, quam illae beneficorum siderum celebratae astrologis coniunctiones, promittat ac polliceatur: quantum tempore posterior est gratulatio nostra, tanto plus feriae solidaeque hinc hilaritatis, hinc fiduciae, non potest non habere. Quamquam diuinationi hic non difficili locus fuit. Mirifice placiturum AVGVSTAE FRIDERICVM suum, suo AVGVSTAM FRIDERICO, quibus contigerat vtrumque sponsorum aliquam propius nosse, omnes facile augurabantur. Noueramus e sanctissimo coniugio natum FRIDERICVM, aurea plane vitae stamina ab iis duxisse parentibus, a quibus nisi ordinem suum natura desereret, nihil nisi praestantissimum, nisi amabile, nisi dotibus omnibus corporis animique instructum, proficisci posset. Noueramus primum in tenero diuinae matris venustatem, tum procedentibus annis dignitatem atque agilitatem augustissimi patris exsplenduisse: quae res ipsum variis mouendi corporis artibus, mirifice ipsum decentibus, aptum reddidit; sicut vicissim illarum meditatione robur insigne membris accessit, vt heroicum quiddam

hoc

hoc etiam nomine in ipso appareat, et iucundissima spes nos teneat, futurum, vt paternae auiae suae patrem, eumdemque maiorem patruum, GEORGIVM WILHELMVM, qui vnum supra octoginta annos viuendo expleuit, sicut felicis ominis similitudine, ita viuacitate etiam referat. Non potuit esse obscurum, quam feliciter educatus esset, curam caelestis pignoris ipsa primum sapientissima matre, antiquo more, et ad prisci seueritatem aeui suscipiente, cui deinde etiam paterna auitaque accessit disciplina, quae virtutis omnis et prudentiae non adumbrata simulacra, sed ipsam quasi formam profundis, et quae deleri numquam poterunt, vestigiis, tum per se, tum per idoneos sapientesque viros impressit: in quibus IO. FRIDERICI, L. B. GROTE, Cellensis Ducatus seneschalli supremum magisterium in primis celebratur. Illud quidem vna voce praedicant, quibus contigit, quamcumque vel artem vel linguam illi praeire, nihil fuisse celsissimi Principis ingenio celerius ad arripiendum, ad iudicandum acutius, tenaciusque ad retinendum. Quam minime mollis, quam fortis contra et plane virilis fuerit disciplina regiae domus, vel inde constat, quod potuit imperare sereniſſima mater, quae scilicet fortiter amaret suos liberos, variolos inseri tum primae regni spei, tum reliquis pignoribus; digna vel hoc nomine aeternitatis memoria, quae illo periculo non suis tantum liberis, sed maximae aliorum hominum multitudini partim vitam, partim formae decus et intaminati vultus honorem seruauerit. Scilicet eadem est, quae amabilem FRIDERICI nostri fratrem natandi arte imbui, tenerumque adhuc aetate corpus ista exercitatione durari,

rari, iubere potuit. Nimirum eadem est regina, quam a nulla parte sapientiae, doctrinae, virtutis, sexus suus umquam excluſit. Ab hac natura, ab hac disciplina, prosperante vtramque Deo, habet celsissimus Princeps non hoc modo, quod amat cultum doctrinae, quod legit, quod intelligit atque diiudicat ea etiam, quae difficilia putantur in artibus optimis; sed multo maius illud, quod mira est ac semper fuit in suos pietate: sicut aui mortem multis lacrimis et acerbo luctu prosecutus est ea aetate, quae minus alias tangi tali luctu solet; ne quid de ipsius in magnos parentes, in fratres ac sorores regias incredibili amore dicamus; quin maximum illud habet, quod nobilissima omnium sapientia, vero de diuina maiestate sensu pariter et cultu imbutum gerit animum; quod neque temere se talem tantumque natum, neque sua solius caussa destinatum tantis rebus arbitratur, sed a communi aeternoque omnium parente eo consilio in hanc lucem editum, tantoque virtutum atque opum instrumento ornatum, vt nunc quidem maximam partem felicitatis parentum suorum, publicaeque spei et voluptatis efficiat, aliquando autem salutem et incolumitatem regnorum gentiumque procuret. Hinc prolixa illa et vere regia humanitas, quae cum ad humiles se demittat, nihil tamen sui perdat fastigii, et alios voluptate atque honore extollens nihil ipsa inde deprimatur. Hinc illa praecipue aduersum eos comitas, quibus propius ipsum contingere, et admoueri ministerio iucundissimo, datum est: quos longo post interuallo nouit, et minutorum etiam officiorum seruat tenaciter memoriam, quae effluxisse olim crediderant, qui praestare tum

gaude-

gaudebant. Hinc illud, quod solum fere sufficit ad felicitatem principis pariter et populi sui, quod capax amicitiae pectus gerit, et suo etiam exemplo illos refellit, qui negatum regibus dicunt hoc maximum fortunae aduersae praesidium, secundae condimentum. Scit profecto sereniſſimus FRIDERICVS noster, et eligere sapienter amicos, qui adulatores et alienae famae arrosores a se remoueat; et parare humanitate sua atque beneficiis; et constantia atque commoditate retinere. Hinc magnifica illa excelsi animi inductio, quod magnitudinem Principum bene faciendi facultate aestimat, et eo augustiorem quemque inter suos, magisque formidandum hostibus arbitratur, quo plurium sibi animos beneuolentia et liberalitate deuinxerit. Vnde illum suo merito fructum consequitur, vt in amore ac deliciis sit omnium, et quo quisque magis agnoscit temporum felicitatem, quo quisque maiora se debere GEORGIO, patri populorum suorum, existimat, tanto ardentiore studio filium prosequatur. Quod cum alias saepe intellectum est, tum ante hos aliquot annos, cum noctu inter mediam hilaritatem, institutasque post traharum ludum choreas, potentiſſimi patris nuntio in Britanniam euocatus Hannouera discessisset, absentiamque Principis aliquanto prius animaduerterent homines, quam discessurum quisquam suspicatus esset: prouidente patriae, pignus illud sanctiſſimum impense amanti, regia indulgentia, ne imminentis absentiae praesensione angeretur. Qui tum fuerint animorum motus, qui concursus, qui piorum ciuium sermones, quae vota inter amoris lacrimas pro absentis felicitate suscepta, facilius boni alicuius poëtae carmine, quam

quam noſtra oratione deſcribitur. Neque vero minus carum eſſe Britannico populo, experimentis tum aliis multis conſtitit; tum publica illa nuper in nuptiis fauſtiſſimis docuit laetitia, in qua nihil fictum, nihil adulationi, ſpei, metui datum, pluribus luculentiſque ſignis deprehenſum eſt. Quidni igitur ſereniſſimae AVGVSTAE ſuus placeat FRIDERICVS? Sed quidni celſiſſimus FRIDERICVS in amorem ſuae rapiatur AVGVSTAE, quae illuſtriſſimum gentis ſuae ſplendorem, quae Saxonicum et Aſcanium ſanguinem adeo non deſtituit, vt potius inter decora illius habenda fuiſſet, etiam ſi numquam ad illud, cui deſtinata eſt, faſtigium adſpiraſſet. Non poenitenda ERNESTO *Pio* proneptis AVGVSTA, Principi inter optimos ab omni memoria patriarum ſuarum patres numerando, cuius inſtitutis ſeruandis et quaſi veſtigiis perſequendis Gotha floret hodie, et tantum inter alios Germaniae principatus eminet, quantum inter regna caetera caput Magna Britannia extulit. Eſt in illa *Pii* ERNESTI diſciplina hoc praecipuum, quod verum de rebus diuinis humaniſque ſenſum, et quidquid aliud diſcitur, in tantum ſtudet impertiri hominibus, in quantum inde vel ad ipſorum, qui diſcunt, animum, vel ad corporis valetudinem aut robur, vel ad aliorum publicamque adeo felicitatem, conferri aliquid conſtat. Hoc agebatur edictis, legibus, libellis, apud imos pariter ac ſummos, hoc adhuc agitur, eo quidem ſucceſſu, vt in pagis etiam, et inter humillimam plebem ordine quodam ac ratione tradantur pueris et puellis non prima modo litterarum et religionis elementa, ſed etiam quaedam aliarum rudimenta artium, perpetuo ad ipſam vitam

et

et mores habito respectu, (norunt, qui aliquam diu in illa ditione vixerunt, vana a me non adferri) et continuata etiam in adultis disciplina: vt eam humanitatem, modestiam, prudentiam, in vrbibus aliarum prouinciarum saepe desideres, quam inter ruricolas Gothanae ditionis, atque eos qui vocantur agrestes, passim inuenias. Hanc *Pius* ille ERNESTVS rationem domui primum suae, deinde ciuibus reliquis commendauerat; haec in Fridensteiniana arce, quam sedem imperii sui condidit ERNESTVS, radices egit ante omnia, et principes tulit laude omni cumulatos: haec vt fieri solet naturaliter, quemadmodum lingua et ipse vocis sonus, tenacius fere in muliebri sexu solet haerere, quo minus nimirum summi etiam fastigii virgines extra thalamum, extra sinum matris progrediuntur. Quod sereniſſimae praesertim AVGVSTAE nostrae contigit, in cuius sereniſſima matre, quemadmodum reliqua omnia summa laude digna sunt, ita hoc praesertim, quod filias suas accuratiſſima diligentia ipsa educauit, et quibus litteris, artibus, sententiis, moribus, imbuerentur, prouidit sapientiſſime, procurauitque adeo, vt non felicitatis tantum ipsa in se, hoc est, in virtute sua praesidia haberet certiſſima, sed praeter caetera optimam marito, quicumque felix ille esset, dotem adferret, puriſſimam sanctiſſimamque ex conuictu illius, amicitia, et perpetua vitae consuetudine, voluptatem. Cum enim ipso auctoris naturae nostrae consilio alter sexus ad hoc natus factusque sit, vt illius ope, illius dulcedine atque humanitate, quae aspera habet etiam summorum principum vita, emolliantur et reddantur tolerabiliora, tum vix fieri potest, quin virgo nobiliſſi-

mo Germaniae sanguine orta, dotibus omnibus ingenii et venustate admirabili praedita, et in hoc ipsum accuratissime sapientissimeque educata, vt felicem reddat maritum suum. - - Sed quid ambagibus opus est? fieri non potest, quin sereniſſima AVGVSTA incredibiliter multum allatura sit ad perpetuam celsissimi FRIDERICI sui vitae iucunditatem; idque tanto magis, quod in singulos dies noua sui mariti decora, nouas generosi pectoris motus, noua crescentis in ipsam amoris pignora, nouam gratulandi materiam, nouas gratiarum agendarum occasiones, laeta inueniet: quemadmodum ille viciſſim recentes quotidie castissimi amoris illecebras, noua puríſſimi atque integerrimi animi documenta, noua amabiliſſimae cuiusdam comitatis atque obsequii experimenta, hoc est, totidem fomenta amoris, totidem felicitatis suae argumenta et acceſſiones, obseruabit. Neque enim in reliqua tantum rerum natura ita constitutum est, vt quodam quasi cauſſarum agentium, vt loquuntur, et reagentium orbe, motus atque incolumitas earum contineatur, vt illud, quod effectum paullo ante fuerat, nunc eius rei, certe similis, cauſſa fiat, a qua est productum: sed eadem in moribus quoque ratio et animi motibus obtinet, vt quemadmodum ventus flammam excitat, a flamma ventus augetur; ita amorem venustas et comitas accendat, qui amari se sentiant, tanto maiori conatu, a quo amari se gaudent, ei studeant placere: quo fit, vt, si quos bonae honestaeque rationes vel coniugii vel amicitiae alterius vinculis copularunt, amor illorum vetustate non minuatur, sed noua potius ab ipso tempore incrementa sumat, non flammae similis, quae, vbi magno impetu stipulas depopulata est, et aneſcit, et sordidi pauxillum cineris relinquit; sed illis

illis ignibus, quibus caelestia corpora per saecula cum ardeant, a suis ipsa vaporibus, in eos recidentibus, ali haud vana forte coniectura creduntur. Sic CAROLINAM amat GEORGIVS, sic ab illa amatur: sic populus suus GEORGIVM complectitur et CAROLINAM: sic AVGVSTA FRIDERICVM suum amat, sic AVGVSTAM FRIDERICVS; sic vtrumque et qui nunc viuunt ciues, et horum posteri amabunt. Experti in CAROLINA sua Britanni, quantum sibi solidi boni, quantum verae felicitatis e Germania venerit; tanto cupidius videntur, vt Palladium quoddam missum sibi diuinitus, complecti caeleste pignus futurae incolumitatis, AVGVSTAM: immo in ipso, quem nunc habent, augustissimo rege non minus, quam nuper in diuo illius patre, mille experimentis edocti, quid sanguis, quid disciplina, quid moderatio, quid sapientia regnatricis domus sibi profuerit, gaudent profecto eam sibi continuari, et felicitatem suam agnoscunt in auspicatissimo hoc coniugio maximam, vnde longam seriem regum optimorum, hoc est GEORGIIS similimorum, posteris suis pollicentur. Superiorum turbarum, quibus agitata est Britannia, memoriam repetere qui voluerint, illi intelligunt, bonam partem ortas esse ex eorum regum coniugiis, qui in tori et vitae regnique societatem receperant principes Romanae persuasioni seruientes, cui quam male cum populorum et regum ipsorum libertate conueniat, hic in primis intellectum est. Neque hodie inuenias temere, qui parum adeo videat, vt hoc non videat, incolumitatem Britanniae in eo agi, vt emissarii Romani nihil in ea possint; Europae autem libertatem, vt hoc perpetuo intelligat Britannia, et immunem

ipsa ab illa se seruitute praestet. Quantum vero capitali illi prudentiae obstiterunt et offecerunt quasi Romanae professionis reginae, tantum illam iuuant iuuabunt illae Principes, quae a sapientissima primum institutione, tum a sua caelestique adeo sapientia hoc habent, vt intelligant, inimicum esse humani generis, qui vi et armis cogendos esse homines dicat, vt vel hac, vel alia ratione Deum colant; impudentia autem non carere, qui inculcare aliis audeat, vnum aliquem hominem falli non posse. Numquam celsissima AVGVSTA, hoc prognata sanguine, hisce proaui sui, tum paternis materniscque praeceptis imbuta, in hanc sapientissimae reginae, et suae in hoc genere sapientiae constantiaeque fructum, qui summus est, consecutae, amicitiam conuictumque recepta: numquam illa profecto in mentem sibi venire patietur quidquam, quo iuuari importuna illa in animos dominatio vlla ex parte possit: numquam ex illa audiet verbum FRIDERICVS suus, quo minus diuinam, quam veneramur in regibus nostris ac principibus, imaginem atque exemplum hac etiam parte referat ac sequatur. Non potest profecto ignorasse rerum auctor, quam male abusuri homines, quin maior pars hominum, essent libertate; et libertatem tamen a magno illo opere atque munere suo, quem mundum vocamus, seiungi non debere, pro inenarrabili sapientia sua iudicauit. Abutantur etiam illa sentiendi, et, quae sentiant, dicendi facultate homines; in stolidas quidam, et somniis febricitantium aut delirantium sermonibus similes nugas incidant: modo ne quid moliri aliud pernicioſum possint, impediantur: non magis illos suppliciis adficiendos putabunt reges nostri atque princi-

principes, quam si qui alio morbo laborent. Felices, qui bona sua norint, ciues omnes; felicem etiam et beatam augusto hoc coniugio academiam. Non potest non amare magni patris sui opus celsissimus FRIDERICVS: non potest non fauere illi AVGVSTA, quam cordi esse magno socero suo intelligat; qua delectari CAROLINAM sentiat, castrorum nostrorum matrem, et veri omnis atque pulcri patronam incomparabilem. Qui tantum ex bonis litteris et voluptatis hauriant, et capiant fructus, celsissimi coniuges, et ipsi beneuolentia sua complectentur templum earum atque officinam; et quam ipsi praestabunt populis felicitatem, huius etiam armamentarium quoddam et promtuarium litterariam hanc vniuersitatem reputabunt, dignam propterea, quae ad aliquam curae ipsorum partem pertineat. Gaudeamus igitur licet, AA. et serio triumphemus: magna res acta est: magna et solida, Deo fortunante, fundamenta futurae etiam felicitatis nostrae iacta sunt. Viuit GEORGIVS, et aurea illa mediocritate diu viuendi nobis spem ostendit. Viuit in filiis, patris sui, quod ad laudem vel solum sufficit, simillimis: viuet, quod ominari iam maiori cum fiducia licet, cum in aliis tum praesertim in FRIDERICI et AVGVSTAE posteris: viuet etiam, cum inter nos versari, et praesens coli desinet, aeternis omnis, quodcumque post futurum est, aeui laudibus, in quibus huius quoque Georgiae Augustae vocem perpetuo et quam latissime exaudiri, spes et votum est. Hoc tu votum audi, Deus, hanc tu spem nostram ratam habe, et vt nos salui ac felices simus, saluum et felicem cum familia regia praesta regem GEORGIVM!

XV.

PROGRAMMA
ORATIONI
IN HONOREM
WILHELMINAE CAROLINAE
HABITAE
PRAEMISSVM.

In luctu, quem incredibiliter magnum bonis omnibus ciuibus obiecit fatum nobis acerbissimum CAROLINAE, reginae incomparabilis, dum hic illic auocamenta doloris quaerit animus, illud non numquam occurrit qualecumque mortalitatis solatium, quo antiquissimi ab omni memoria homines vsi deprehenduntur, vt ad caelum euecherent praedicatione, atque inter sidera collocarent eos, quorum, dum viuerent, magna admiratio, vel egregia merita, atque ob id ipsum mors acerba, iucunda esset memoria. Visum est, huic ipsi rei commentando aliquam diu immorari, cum spes sit, futurum, vt alii quoque, dum ista legunt, vel communi hominum conditione cogitanda, vel vanitate et multum ineptis opinionibus integrorum populorum recognoscendis, alleuamenti aliquid, certe aberra-

aberrationem a dolore ac sollicitudine non nullam, inueniant. Quare altius paullo, et ex ipsis quasi naturae nostrae rationibus, illum morem sideribus adscribendi homines, repetemus. Nimirum principio non potuit non fieri, vt erecti ad caelum et sidera contemplanda homines, cuius rei illos ipsum illud *os sublime* et tota sui corporis conformatio admonebat, non admiratione quadam iucundissima complerentur, ipso primum per vastissima spatia caerulei coloris, tot lucidissimis quasi gemmis oculisue distincti, spectaculo, seu quis in serenam subito noctem exiret, seu post solis occasum, intendentibus paullatim se tenebris, in conspectum prodire videret initio puncta quaedam micantia, tum plures subinde ignes maiores minores, viuidos omnes et scintillantes, ordinem quemdam inter se seruantes pleroſque, sed stabili tamen gradu et lento, verum vno agmine se circumagentes: et inter has stellas certis temporum interuallis magnifice incedere tamquam reginam aliquam, cui decedere ad spatium quoddam videantur reliquae, et paucae, eaeque illustriores tantum circa illam velut in officio conspici; esseque aemulas illius reginae aliquot alias, illustriores caeteris, sed extra reliquarum chorum procedentes, insistentes, retro cedentes, progredientes iterum: totumque illum exercitum, sub solis exortum, quo quaeque vel propior orienti, vel minor est, eo prius decedere de statione, et videri desinere, donec sol abiens locum iis denuo relinquat. Hanc igitur pulcritudinem, quam nubilae non numquam, vel in vniuersum, vel partibus suis, noctes commendabant, cui varietatem suauissimam conciliabat regina illa luna, contemplati homines,

ii praesertim, qui his ipsis rebus inter alios homines excellerent, ob quas genus nostrum mutas pecudes antecedit, in admirationem rapiebantur merito; quae creuit, quo magis ad ordinem, quo continetur mundus, attendebant, vbi animaduerterunt verbi caussa, ipsam illam lunam, ipsas quinque alias, quas vagari temere, et nullo ordine ferri, initio arbitrati fuerant, ratos dimensosque seruare cursus, et nihil esse, quod non aeterna quadam lege ita deuinctum videatur. Necesse fuit eo maiorem illam admirationem fieri, quo magis intellectum est, hinc, quam horribili hiatu a nobis distent, et quam ex altissimo loco nobis immineant sidera, hinc quam immensas moles esse oporteat, vnde ex tanto interuallo lux ad nos allabatur. Inde porro lapsu temporis illud consecutum est, vt immortalia esse, aeterna, corruptioni nulli obnoxia, sidera putarent, in quibus nemo quidquam immutatum tot saeculis obseruasset, sed ratos contra perpetuosque cursus, qui praedici exquisitissima ratione possent; lucem vel eamdem semper, vel aequabiles certe, et seruantes orbem eumdem, vices. Hinc peruulgatum illud, quod dicerent, quae infra lunam sint, ea tantum mori, corrumpi, interire posse; supra eam nihil non constans, perennique vita praeditum. Viuere enim sidera vitam aeternam; quin vitam inde ad nos demitti, et illud ipsum, quo mouemur et agiles sumus, ab astris esse; quae antiquorum poëtarum pariter et philosophorum sententia ad illos, qui theosophos splendido nomine se appellant, Paracelsi, Boehmiique familiam, vsque deriuata est, apud quos de sidereo illo et astrali spiritu, omnia animante, inculcari multa videmus. Nimirum cum quanta

solis

solis vis esset, ad eorum, quae terra oriuntur et aluntur omnium, vitam, incrementa, motus, quotidianis experimentis constaret; cum oppositos fere his effectus, quos nocti et vmbrae melius tribuissent, lunae transscriberent; cum solis simile quiddam habere stellas inerrantes, argumentis quibusdam colligerent; cum multarum rerum, vt tempestatum, ventorum, et quae in aëre geruntur reliquorum, causas non satis perciperent; cum ipsam animorum nostrorum originem non intelligerent: in eam deuenerunt opinionem, vt putarent, illa ab astris effici omnia, hos ab astris inde in corpora nostra demitti. Iam naturae ita pulcrae, ita seruantes ordinis, ita magnae, aeternae porro atque immortales, ita efficaces denique, quo alio nomine, nisi deorum immortalium, appellarentur ab hominibus, caelestis doctrinae luce destitutis, qui vel non satis adsequerentur illam Dei monarchiam, vel communicari posse Dei illius supremi atque vnius honorem nomenque cum aliis, in ordine humiliore constitutis, arbitrarentur. Haec priscorum hominum de sideribus sententia. Iam de se ipsis, suoque adeo genere, quam magnifice sentire mortales soleant, satis superque notum est. Superbi sumus natura, alta petimus, eminere supra alios volumus; porro nimium saepe nugaces, et creduli eorum, quae vera esse cupimus. Numquam enim, vt argumento vno certissimo vtamur obiter, numquam tantum proficerent adulatores, numquam sic ludibrio alios haberent, nisi quales illos dicunt adulatores, tales ipsi esse misere cuperent. Sed pergamus. Quales ipsi esse vel videri prae vanitate cupiunt homines, tales etiam esse viderique eos, volunt, gaudent, credunt,

quos proximo a se loco amant. Habemus, nisi fallimur, originem et fontes atque riuulos illius consuetudinis, de qua quaerere instituimus. Cum nihil haberent poëtae, primi vt sapientiae et doctrinae, sic adulationis etiam et vanitatis auctores, mundo ac sideribus illustrius, pulcrius, maius, beneficentius; his primo comparabant homines, quos illustrissimos, pulcerrimos, maximos, beneficentissimos vellent ostendere: deinde ornandi fingendique studio prouecti, quos similes sideribus dixerant, illos iam ad sidera hinc abiisse, et locum sibi suum inter ea vsurpare, mentiebantur illi quidem, quod numquam sanior quisquam crederet; sed suauiter mentiebantur, sed ita, vt vera, vero certe similia, ab his praedicari homines optarent, ad quos adulatio illa maxime pertinebat. Cum vero diuersi locis, temporibus, studiis, homines in hoc vno conuenirent, vt colonos quasi nouos in caelum mitterent, et nomenclaturam quamdam siderum paullatim efficerent: mirum non est, magnam hic quoque, vt in caeteris rebus, quae a diuersorum hominum pugnantibus inter se voluntatibus proficiscuntur, exortam esse diuersitatem. Nisi quod cultior Graecia auctoritatem sui Arati multum secuta est, quem deinde Cicero, Caesar Germanicus, aliique, Romanis suis cum impertiissent, reliquorum commenta his fere cesserunt, praeter quam quod posteriorum adulatio aliquid non numquam vel addidit, vel immutauit. Hac igitur via, his gradibus in caelum iuere, qui septem planetis hodie dant nomina sua, Saturnus, Iupiter, reliqui. Qua in re dubites merito, ridenduſne magis, an deplorandus sit hominum error, qui tam friuolo commento nixas astrologorum,

rum, et vulgares calendarios scribentium, praedictiones adhuc amplectuntur; neque recordantur, ficticium esse, et paucorum adulatione primo excogitatum, vt nomine Iouis stella appellaretur, quae Phaethon ab aliis dicta fuerat: deinde huic stellae adtributos esse effectus, non quos experti essent homines, (qui enim possent?) sed quales ab illo proficisci ingenio putarent, quod Ioui suo ante, vero an falso, adsignauerant. Sic de Saturno, Marte, reliquis. Sed hoc non agimus, qui illud modo, iam quidem, habeamus propositum, peruestigare, quo modo in caelum venerint, et sideribus adscripti sint, homines. Cum antiqua illa et vagarum et inerrantium stellarum nomina origines habeant a memoria eorum, qui veras certasque nobis historias tradiderunt, remotiores, atque poëtarum fabulis interpolatas varie *a*): iuuat ea praesertim huius rei exempla inspicere, quae recentiora, certioribusque consignata monumentis sunt. Dedicat igitur Berenice, Ptolemaei Euergetae soror eademque coniux, capillum suum in templo Veneris Zephyritidis: (quo nomine Arsinoë, Aegypti et ipsa paullo ante regina, colebatur) perit ille furto, vel casu, vel adulatoris consilio. Praesto est Callimachus poëta, qui raptum diuinitus et ad sidera translatum diceret, prouocaretque ad Cononem astronomum, qui inter reliquas illum stellas vidisset. Ac siue primus auctor commenti fuit Conon, siue in partes eum traxit

a) Harum, ne de HYGINO dicamus, ipsoque ARATO et eius Graecis Latinisque interpretibus, conspectum quemdam habemus antiqui scriptoris Graeci in Ptolemaeorum aula viuentis, ERATOSTHENIS, quos *Catasterismos* vocat.

traxit Callimachus: ab eo certe tempore in sideribus locum tenuit coma Berenices *b*) eum, quem Lesbiarum antea virginum *c*) vocarant. Sic Iulii Caesaris post mortem quae stella crinita fulsit, eam esse animam ipsius in caelum recepti, vulgo creditum, illudque Iulium sidus dictum, nummo etiam peculiari expressum *d*), eademque de caussa et simulacro ipsius, et capiti in nummis, qui sunt post illius mortem cusi, in vertice stella additur, quale quid in aliis etiam nummis consecrationis siue ἀποθεώσεως memoriam seruantibus conspicitur *e*). Inter honores Antinoi, qui forma, vt plures, caelum meruit *f*), hoc est, vt nummi quidam imminentem capiti illius stellam praeferant. Quin nomen etiam illius seruat hodie quoque sidus aquilae vicinum, quod Ganymedem vocarant alii. Modestior, religiosiorque aetas recentior, diuinis illa quidem honori-

b) Vid. *Fragm.* CALLIMACHI, *p. 434. edit. Graeu.* vbi reliqua dat BENTLEIVS.

c) Sic certe scholiastes Latinus ad Germanici interpretationem *Arati p. 146.* vbi Graecus, anonymum ante fuisse sidus, cum ipso poëta narrat.

d) Quem cum alii passim exhibent, tum PATINVS *ad Sueton. Iul. Caes. c. 88.* vbi etiam de cometa, *creditumque est*, inquit, *animam esse Caesaris in caelum recepti: et hac de caussa simulacro eius in vertice additur stella.* Quod vero etiam viui Caesaris capiti stella apposita conspicitur, illud ad iactatam ipsius a Venere originem pertinere, constat.

e) Quod monere non obliti sunt IO. BVRC. MENCKENIVS, et IO. DAN. SCHOEPFLINVS, VV. CC. in suis *de consecratione imperatorum dissertationibus.*

f) Quos laudat V. I. EZ. SPANHEMIVS *de vsu et praest. num. diss. XI. p. 332.* vbi plena manu agit de Antinoo.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0056
DFG

noribus pepercit; at hoc seruauit tamen, vt caelo atque sideribus, qua posset, insereret, quos magno aliquo honore afficiendos, quorumue conseruandam memoriam putarent. Quid enim sibi volunt aliud *Scutum Sobiescianum?* quid *Robur Caroli?* quid *Bourbonia?* aut *Medicea?* quae eadem *Brandenburgica*, aut *Barberiniana*, vel *Vrbanoctauiana* sidera? nisi vt indicetur digna immortalitate, et aeterna saeculorum omnium memoria, principum illa nomina videri.

Quod si vmquam de mortalium genere quisquam vel formae praestantia, vel virtutis admiratione, vel beneficiorum magnitudine, vel quacumque maiestate alia, meruit in caelum recipi, sideribus nomen dare, immortali apud omnes posteros gloria celebrari: ea profecto fuit, heu fuit! reginarum decus, et exemplum CAROLINA, quae si prisco illo aeuo, et fabulis iam olim obscurato, vixisset, ante omnes Andromedas, Cassiopeias, Ariadnas, Berenicas, locum acceptura suum inter sidera fuerat: quam summo studio Romani, ante Liuias suas, Plotinas, Marcianas, Sabinas, Faustinas denique, consecraturi erant: *sideribusque receptam* g) praedicaturi: ad quae nimirum excelsa mens illius sciendi cupiditate adspiraret; ad quae sublimi fortunae ac gloriae fastigio quasi accederet; quorum purissimo fulgori virtutum illius splendor similis esset; a qua bonorum in mortalium genus tanta vis deriuaretur; quam numquam mori, interire numquam, incredibili desiderio multa hominum millia optarent. *Diuam* quidem appellarent sua sponte omnes, non exspectatis consecrationis sollemnibus. Quin ne nos quidem, in hac religiosae scientiae luce, dubitamus

g) Vt Faustina minor in nummis.

tamus *diuam* CAROLINAM vocare. Si enim, recenti adhuc fidei de superstitione victoria, vbi coronatum esse, ludos spectare, parum Christianum videbatur, *diuos* tamen vocare *Magnum Constantinum* cum filiis, *diuum Iouianum* et caeteros ad *Valentinianum* vsque *Secundum* non priuata adulatione, sed in publicis monumentis fas fuit *h*): quae vel inuidia, vel religio erit, *diuam* dicere, quae diuinis se virtutibus exornatam, diuino actam spiritu, et *diuinae participem naturae i*), dum viueret, probauerit; iam vero supra corruptelam e terreno contagio omnem, supra peccandi metum posita, corporis etiam, quo instrumento virtutum suarum vsa est, eum splendorem ex diuinis oraculis secura exspectet, qui solis atque siderum luci nihil concedat, et formam glorioſi corporis ducis sui Iesu Christi referat. Haec nimirum ipsa caussa est, quod moderatius ferimus casum, qui iacturam nobis, patriae, regi nostro, orbi terrarum, irreparabilem attulit. Ita de nobis promerita est *diua* CAROLINA, vt desiderium tantae virtutis nobis numquam possit eripi; vt lacrumas excutiat iacturae, quam fecimus, cogitatio. Sed eam ipsa felicitatem consecuta est, quam vel inuidere illi videamur, vel parum credere, si lamentationum et lacrumarum modum non adhibeamus. Igitur a fletu nihil profuturo, et querelis inanibus, hinc ad imitationem virtutis, ex oculis quidem ereptae, sed quae animis numquam effluet; hinc ad praedicationem illius beneficiorum, conuersi nos, qui litterarum et sapientiae studiis dediti sumus, hoc agamus sedulo, vt quemadmodum

h) Collegit ea SCHOEPFLIN. *l. c. c. 2. p. 49. seqq.*
i) Sic 2. *Pet. I, 4.* θείας κοινωνοὶ φύσεως.

dum viua omnium se felicitati natam probauit, ita postquam esse inter nos desiit, exemplo iuuet et ipsa commemoratione posteros. Dedimus primas huius rei partes collegae nostro, IO. MATTHIAE GESNERO, tum quod ipsa muneris illum ratio vocat non ad praecepta modo eloquentiae tradenda, sed ad proponenda etiam exempla, nobilissimumque illius vsum, commendandae virtutis, ostendendum: tum quod illi contigit, vt a pueritia inde spectator esset decorum, et admirator virtutis *diuae* CAROLINAE, in ea regione natus, et educatus in vrbe, quam lucidissimum hoc sidus primum suo fulgore impleuit. Prodibit ille in concionem vestram proximo die Iouis, hora X. in templo academico, in quod pompam ex area collegii via consueta ducemus. Vos, illustrissimi Comites, et ciues reliqui, speramus, tum aliis rebus ornaturos caerimoniam atque pompam nostram, tum ita oratorem nostrum audituros, vt cogitetis, numquam digniori in argumento, numquam in persona post obitum etiam amabiliore, versatam esse cuiusquam eloquentiam. In primis fauete linguis atque animis, cum vota illum pro indulgentissimo rege nostro, et rectore suae academiae magnificentissimo, nuncupantem audietis, ac nobiscum diuinum Numen implorate, vt solatia tanti luctus praestare ipsi velit, inconcussum valetudinis statum, vitam longaeuam, familiam beatam, populos fideles, atque per ipsum felices, et quaecumque sapientissimi optimique principis vota sunt. Hoc facient nobiscum etiam hospites ordinum omnium exoptatissimi, qui hac tabula, quam humanissime potest, inuitantur. *Gottingae a. d. 20. Ian.* CIↃ IↃCCXXXVIII.

XVI.

XVI.

ORATIO

QVA

WILHELMINAE CAROLINAE

REGINAE

NOMINE ACADEMIAE

AD XXIII. IAN. ↀↃↃCCCXXXVIII.

PARENTAVIT

I. M. G.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR MAGNIFICE,
ILLVSTRISSIMI COMITES,
VIRI GENEROSA, ILLVSTRI, REVERENDA,
ATQVE NOBILISSIMA DIGNITATE,
EXCELLENTISSIMA DOCTRINA,
AMPLISSIMIS MERITIS CONSPICVI,
IN HIS VOS PRAESERTIM, COLLEGAE HONORANDI,
GENEROSI ATQVE NOBILISSIMI COMMILITONES,
DECVS NOSTRVM, ET VOLVPTAS VNICA,
QVORVMCVMQVE ORDINVM AVDITORES
HONORATISSIMI.

Quam

Quam diuersam paucis adeo interiectis mensibus formam destinata haec sacris academicis aedes subiit! Vt nuperum illius decorem, festumque habitum, quocumque inciderint oculi, requirunt! Septembri mense superioris anni, hoc ipso in loco, spectaculum vidimus laetissimum: actioni interfuimus, vnde maxima ad omnes, qui aderant, aderant autem, quot vix caperet hic locus, voluptas hilaritasque perueniret. Natalem ipsum celebrauimus huius academiae primum diem; beneficia in illam Dei, regis, praedicauimus. Feliciter omnia et ex animi sententia peracta, cum summi sensu gaudii, inter laetos concentus, hac ipsa voce interprete declaratum est. Heu quam diuersa rerum nunc surgit facies! Tunc omnia aderant, quae incitare dicentem, et minus etiam diserto subiicere verba, spiritumque addere poterant. Nunc nihil fere est, quod non ad deprimendum magis animum, ad contundendos, si qui sint etiam generosi impetus, valeat. Tristi quasi vmbra velata sunt omnia, deiecti omnium vultus, silentium ipsum, aut murmur certe iacturam communem mussitantium, nihil habent, quo incendi aliquis inflammarique possit. Interceſſit mensis vnus itemque alter, ex quo terras, et pendentes e suo spiritu populos reliquit *serenissima*, dum viueret, *potentissimaque Princeps ac domina*,

domina WILHELMINA CAROLINA

felicis nuper connubii iure *Magnae Britanniae, Franciae, et Hiberniae regina, Dux electrix Brunsuicensis et Luneburgensis*, orta ex *Marggrauiis Brandenburgi Onoldinis*, regina nostra, domina, mater indulgentissima:

tissima: cicatricem duxisse videri poterat vulnus impressum animis nostris profundissimum; adsueuisse mens dolori moderatius ferendo: sed recrudescit dolor; rebellat tristitia ad funeris ipsum apparatum; et, quasi tempus omne hoc consumtum esset in colligendis lacrumarum argumentis, quot nimirum sunt laudes CAROLINAE diuae, sunt autem infinitae; sic nunc viribus totis conatur erumpere. Heu mater castrorum nostrorum! heu praesens inter mortales et spirans virtus! heu viuens et conspectui amoribusque omnium exposita modo sapientia! heu huius etiam litteratae ciuitatis Palladium! Hanc quis ferre iacturam? hanc quis sarcire potest? Sed quid agimus? AA. OO. OO. HH. Non ideo huc conuentum est, vt augeamus dolorem, qui tacitus etiam saepe recurrit, et soli cum sumus, mentem tristi calamitatis sensu excruciat. Illud consilium nostrum est, remedia quaerere tristitiae ex ipsis illis, quorum iactura nos angit, bonis, gratias agere Deo pro beneficiis, quae per suum illud caeleste munus, CAROLINAM, in nos innumerabilia contulit, imitarique, si minimis declarare licet maxima, hospites modestos, regali munificentia exceptos, qui vbi discedendum est, non queruntur, non quasi iniuria accepta indignantur; sed gratias agunt, sed bene se habitos, cum grati animi aequitate commemorant. Hoc faciamus, AA. et serena, quantum eius fieri poterit, mente cogitemus

de diuinae prouidentiae per CAROLINAM *diuam beneficiis.*

Sic enim et amori nostro in sanctum et beatum hoc prouidentiae instrumentum, reuerentiae-

tiaeque regiae maiestati debitae, indulgebimus, et a luctu nimio reuocabimur.

Adeo autem non magna tantum, sed multa quoque sunt, de quibus dicere suscepimus, vt ipsa eorum turba difficultatem non mediocrem nobis obiiciat. Quare in genera quaedam tribuemus diuinae prouidentiae per CAROLINAM diuam beneficia, videbimusque ante omnia, vnde, tamquam faustum terris sidus, exorta, quibusque rationibus praeparata sit, vt post ea tam multiplex per illam felicitas oriri posset: deinde per gradus quasi quosdam persequemur vitam adeo beneficam, et quantum illa vel priuatim *suae domui*, vel *reipublicae*, cuius tanta pars fuit, vel *generi humano*, profuerit, non prout ipsa merebatur, sed quantum nostra fert facultas, commemorabimus.

Si de principe nobis sermo esset, AA. in qua sterilis laudum propriarum materies diuerticula quaerere oratorem cogeret; nihil esset facilius, quam laudare gentem Brandenburgicam, enumerare longa serie generosi adeo sanguinis auctores, non patrem modo IOANNEM FRIDERICVM, aut ALBERTVM auum, proauumque IOACHIMVM ERNESTVM, Onoldinae domus conditorem; sed vltra etiam adscendere per abauum IOANNEM GEORGIVM felicem illum trium et viginti liberorum, ac per eos domus totius, quae hodie floret, Brandenburgicae parentem, ad Electores Brandenburgicos, Duces Prussiae, Burggrauios Noribergenses, Zolleranos denique Comites, prima sui origine nostris Guelfis, vt vulgo tradunt, coniunctos: liceret maternum etiam genus per ELEONORAM ERDMVT

LOISAM, IOANNIS GEORGII Isenacensis filiam, a Saxonicorum Principum vltima origine deducere. Sed tot ac tanta sunt alia diuae CAROLINAE decora, vt hanc nascendi felicitatem attigisse satis sit. Caeterum purpurae ac diademati natam dicerres, si infimis mortalibus ortam, et pannis obsitam vidisses. Ea enim forma erat, in qua filiam patris, pulcerrimi Principis elogio exteris etiam noti; et eius matris, cuius venustas, vidua, et trium liberorum mater, et septem annis maior cum esset, Saxoniae Electorem IOANNEM GEORGIVM IIII. inuitauit, vt coniugem sibi expeteret, facile agnosceres. Neque vero fefellit facies, emendatissimi index ingenii: quod facile intellectum est, vbi primum huius culturae manus admoueri coeptae sunt: adeo celeriter, quae traderentur, arripiebat; adeo, quidquid natura dignum attentione atque admirandum habet, quidquid in artibus pulcrum, vel honestum in moribus est, trahere illam atque afficere videbatur, non aliter quam tensae aequaliter chordae tremorem atque sonum sibi inuicem impertiunt. Admirabiliter hoc ad profectum robusti vigoris, virtutis, et sapientiae in diua CAROLINA constituit caelestis prouidentia, vti rebus duris et varietatem multam habentibus tenella statim aetate exerceretur. Vix tres nata annos erat, nata est autem anno superioris saeculi LXXXIII, Kalendis Martiis, cum, patre suo rebus humanis exemto, matrem per diuersa itinera, quae vel valitudinis ratio, vel aliae causae suadebant, comitaretur, et nunc Isenacum, nunc Berolinum, nunc thermas, quae ad Amisum sunt, nunc Carolinas, nunc Dresdam Pretschamue adiret. Nonne videbatur illam mature

variis

variis caeli et locorum mutationibus adsuefacere prouidentia? varios illi hominum vultus, mores, viuendi rationes ostendere? quibus rebus effectum est, vt nihil ei post ea nouum accideret, vt ad virilem quamdam profuturamque populis prudentiam per prima illa rudimenta formaretur.

Secutum est illud, cum matre etiam defuncta, quo tempore ipsa tredecim non amplius annos haberet, et rerum potito fratre, qui vnice illam, licet alia matre natam, amaret, GEORGIO FRIDERICO, Onoldum rediit, eamque vrbem, in qua nata fuerat, ipsa sua praesentia illustriorem, laetiorem, humaniorem, reddidit. Date mihi, quaeso, hanc veniam, AA. vt, quarum rerum spectatorem me fortuna fecit, puerum quidem eo tempore, sed attentum tamen ad ea, quae agerentur, et propter cognatos quosdam in aulam admissum, de illis quaedam in hoc vestro conseßu commemorem. Post initia igitur eius, quod nunc viuimus, saeculi, in ipso aetatis flore constituta diua CAROLINA ita vixit Onoldi, vt in virginalis modestiae, non formidolosae alicuius aut plebeiae, verum magnanimae et patriciae, custodia, in amore ac deliciis populi esset, qui illam effusissime quidem, sed religiosa quadam verecundia, tamquam caeleste pignus, et praesentis cuiusdam numinis instar, amarent. Vidimus illam, quoties de publicis sacris, quae diligenter obire solebat, templo egrederetur, atque in ipsis staret gradibus, vel aperto curru, lento iumentorum gradu, per vrbem inueheretur, magna multitudine omnis ordinis hominum circumfusam, qui, licet propter ipsius humanitatem frequentissimum

illud esset spectaculum, nihil quaerebant aliud, nisi vt adspectu illo fruerentur, et viderent, quo nihil pulcrius posset videri, et in regali oris et morum maiestate humanius atque affabilius. Ipsam, inquam, spectatum ibant, currebant, homines: neque enim facile pompa, neque vestibus vtebatur, quae trahere possent plebeculam, aut oculos eius implere, simplicis munditiae, quam splendoris sumtuosi, studiosior. Neque tamen videre solum volebant, quod modo dixi; sed videri etiam ab ipsa, conspici, agnosci, audiri bona verba, quae dicebant, audiri gratias, quas decernebant comitati virginis, beneficentiae, atque liberalitati. Qua in re neque frustra erant, cum illa manifestis indiciis, agnoscere se hominum pietatem, significaret, nunc hunc nunc alium alloqueretur familiarius, et ipsa illa protractiore mora, tarda ipsa progressione, probari sibi populi amores, ostenderet. Plurimum illam hac ratione domui suae, suis fratribus sereniſſimis, profuisse, dubitare tantum potest, si quis non intelligit, quantum sit ad bene feliciterque imperandum momentum in amore populi aduersus regnatricem familiam: qui quidem amor in patria mea, AA. conciliante praesertim etiam suis virtutibus CAROLINA, tantus fuit, vt non putem maiorem vsquam exstitisse. Intellectum illud est tum alias, tum eo praesertim tempore, cum tristissimus nuntius de letali vulnere GEORGII FRIDERICI, quem fratrem diuae CAROLINAE modo diximus, in vrbem adferretur, vbi signo ecclesiae extra ordinem dato confluens ad templa populus, consternatione ob periculum sui Principis, lacrumis, votis, supplicationibusque pro salute illius susceptis, ea amoris

signa

signa dedit, quae fingi non possunt: intellectum deinde est in funere, quo communem omnium patrem, laetitiam et felicitatem omnium, efferri putares: intellectum est ex iis studiis, quibus WILHELMVM FRIDERICVM, fratrem ex vtroque parente CAROLINAE, successorem GEORGII FRIDERICI, populus prosecutus est, cum vel vti se militia abdicaret, glorioſissima ipsi, sed populo post cladem fratris inuisa, rogarent suppliciter; vel vt nuptiis contractis spem successorum sui similium praestaret patriae; vel cum, nuntio allato de contracto feliciter illius matrimonio, laetitiis omnibus triumpharent: intellectum denique, cum illud accidit, quod maximum Onoldinae domui splendorem et immortale decus conciliauit, vt ad nuptias eius Principis CAROLINA discederet, de quibus illa tum sperabantur, quae cumulate postea euenisse constat. Sciebant homines, ad quantas res vocaretur CAROLINA, cum iam aliquot annis ante agnitum et publica lege confirmatum esset sereniſſimae SOPHIAE ius in regna Magnae Britanniae: nouerant, quantum boni sperare possent ex eo matrimonio, cum iungeretur Principi, quem illibatum summae, quae in animis et corporibus intelligi potest, nobilitatis florem omnes dicerent; quem non aliena arbitria, non obsequium caecum, non imago mentiens, sed suae aures, sui oculi, suum iudicium, ipsi conciliasset. Et tamen discedentem multis cum lacrumis, et, qui grauiores essent, male dissimulato dolore, quem desiderii futuri cogitatio efficeret, prosecuti sunt. Vidimus, AA. illum diem, cum aula plena esset ordinis alicuius aut loci hominum, qui omnes ad salutandum

illud Palladium admissi sunt, viri feminaeque nobiles, consiliarii, tum qui in magistratu vel sacerdotio, vel quacumque procuratione versarentur, de humili etiam plebe vtriusque sexus quam plurimi, humanissime omnes et sic dimissi, vt vix quemquam non humentibus oculis videres discedere. Vidimus portas palatii et vrbis obsessas promiscua omnis generis multitudine, qui votis ominibusque, corporibus etiam suis, per aliquot ipsam stadia prosequerentur; totam vrbem ad spectaculum effusam, quo ita saepe delectati essent, quod nunc demum quam vmquam videretur excellentius, quo aeternum se carituros, coniectura non improbabili, nec sine maximo dolore, praeuiderent. Quo magis nobis ignoscas, diua CAROLINA, si nunc etiam, cum ad certam et summam felicitatem te profectam norimus, attoniti tamen tua prosequimur vestigia, et quam beatissimam esse scimus, tamen, mortalitatis et naturae nostrae vitio, abesse a nobis non sine gemitu dolemus. Sed redeundum est. Angi tum, et magis posteaquam aliquam multos dies absuerat, videbamus praesertim miseros complures ex eo genere, quos ne summa rerum omnium inopia ad ianuas aliorum et limites abiiceret, hinc pudor suus impedierat, hinc liberalitas diuinae virginis, cui iam tum modestia sua, humanisque et diuinis e litteris hausta sapientia, hoc subiiciebat, vt non ambitiose distribueret beneficia; sed, quantum eius fieri posset, in occulto haberet ipsa, haberique vellet ab his, quibus benigne faceret. Hi nunc non amplius teneri se interdicto rati, tanto effusius, quid accepissent, praedicabant, quanto dolentius ferebant, quod amisissent. Quamquam cura-

curauit ipsa, vt etiam cum abesset, tamen fructus liberalitatis suae non cessaret. Quod sensit in primis illud quatuor et viginti, vt res tum erat, puerorum adolescentiumque contubernium, qui Onoldi publico sumtu ad cultum bonae mentis educantur, cui commodioris vitae subsidia de suo praestari in perpetuum iussit. Parum dicam AA. si me quoque inter hos fuisse commemorem, ad quos illa CAROLINAE liberalitas peruenit, cui ista beneficia fundamentum quasi substruxere, vnde ad hunc, qualiscumque est, locum eniti datum est; et parum decore facere forte quibusdam videar; in primis cum nominare possim per omnes fere Germaniae partes, qui in illo ludo rebus necessariis instructi, et beneficio CAROLINAE etiam ornati, ad altiorem gradum peruenere. Sed qui grati animi significandi tam opportunum locum negligam? quid ni praesentem vobis testem liberalitatis CAROLINAE sistam potius, quam citem absentes?

Iam igitur relicta familia, cui honori semper et gloriae erit, et patria, in qua sanctissime ipsius per omnia templa semper memoria, summo quidem ipsius merito, seruata est, in nouum virtutis suae ampliusque theatrum translata CAROLINA diua, hic etiam instrumentum se beneficae prouidentiae saluberrimum praebuit. Nisi forte mediocre beneficium interpretamur, quod GEORGIVM nostrum, cui faueat Deus! vnicum illo tempore domus electoralis columen, beatissimum maritum reddidit, suaque illum comitate, sapientia, dulcedine, virtutibus omnibus, ita deuinxit,

vt conciliatricem antea coniugii sui formam non iam in primis bonis, quae amaret in CAROLINA sua, reponeret, sed, etiam in mediocri valde specie, tantam sibi vim virtutis amabilem visum iri, intelligeret. Potuitne vero illo ipso nomine non carissima esse GEORGIO patri, suo socero? nonne illam vt munus sibi oblatum diuinitus complecteretur, quae vnicum sibi filium sic beatum redderet? quid vero SOPHIA sapientissima princeps? Nonne praeter domus suae amorem, cuius fundus quasi quidam erat CAROLINA, iucundissimam eius pronurus consuetudinem iudicaret, quam iisdem studiis, quibus suam illa aetatem oblectabat, videret teneri? quam in isto aetatis flore voluptatem nullam anteferre illi, quae ex eruditis sermonibus et sapientiae studiis hauritur, animaduerteret. Quid illud? quod matrem se probauit non foecundam modo, quo vel solo coniugiorum principalium censetur felicitas; sed quae mater deinde esse non desineret, suorumque educationem liberorum summa cum sapientia administraret. Maximam AA. regnantis familiae felicitatem, CAROLINAE diuae opera partam, narro, quam illi demum, quanti sit intelligunt, qui, quanta vis sit ad totius vitae vel felicitatem vel miseriam in educandi rationibus, non ignorant. Tulit hunc fructum sapientiae suae, et in suos pietatis, CAROLINA diua, vt experimento omnium maximo in suis liberis cognosceret, virtutem doceri posse; non periisse sibi, non periisse domui suae, curam et sollicitudinem, quam formandae in sinu primum suo, purissima et sanctissima boni et pulcri omnis officina, deinde praeceptis suis et exemplis, regiae soboli impendit. Gratias

tias decernent tibi, CAROLINA, populi, quibus aliquando sub placido et miti, tuamque referente sapientiam; filiorum tuorum imperio licebit acquiescere. Gratias tibi agent reges atque summi principes, qui formatis excultisque disciplina tua filiabus tuis ea debebunt, quae tuus tibi debere profitetur GEORGIVS. Gratias tibi agent illi quoque populi, qui per filias tuas rectoribus vtentur felicioribus.

Commemorare ea volebam AA. diuinae prouidentiae beneficia, quae per CAROLINAM diuam priuatim domui ipsius, tum in qua nata est, tum in quam feliciter innupserat, collata sunt. At video ad alteram iam eorum classem me transisse. Publica profecto beneficia sunt, ad populi salutem referuntur, quae circa regiae sobolis educationem pie, sapienter, feliciter ab augusta matre administrata sunt: vt nimirum publica sunt caetera quoque, quae adhuc retulimus. Nonne enim summo rem publicam tum nostram tum Britannicam beneficio affecit prouidentia, quod talem nasci, iis pietatis et sapientiae praeceptis institui voluit CAROLINAM, quae tantum deinde momentum haberent ad vitam augustissimi regis nostri tranquilliorem beatioremque reddendam, quibus hoc debebatur, vt ipse facilius alacriusque excubantes pro salute populorum suorum curas sustinere posset. Atque in vniuersum dissimulanda non est illa virtutis, quae in summos principes incidit, praestantia. Priuatorum hominum pietas, fortitudo, prudentia, sapientia, fere paucis quibusdam prosunt, et intra domus vnius, vel paucarum praeterea, limites continen-

tinen-

tinentur; raro foras prodeunt ad plures, nisi in quantum partem aliquam rei publicae et ipsi attingunt. At principis virtus non modo velut in alta quadam specula proposita omnibus ad admirandum est, et quantum eius licet ad imitandum: verum etiam ipsa actione sua ad populi felicitatem tendit. Felix populis sidus exorta est diua CAROLINA, totos beauit populos suos, quidquid ageret ad sui mariti, ad sui soceri, ad liberorum suorum promouendam felicitatem. Sed multa sunt praeterea, AA. in quibus hoc ipsum spectauit, hoc egit, vt populis suis prodesset, licet non posset non eadem placere GEORGIO, qui eamdem sibi haberet metam propositam; licet non posset euitare, etsi voluisset, quo minus sibi prodessent eadem: cum verae singulorum vtilitati ita arctis vinculis perpetuisque nexibus commoda publica, id est honestatem implicuerit Deus, vt ea mente quidem et cogitatione discernere, re vero ipsa numquam separare ac disiungere liceat. Etiam illud diuinitus comparatum est, vt non vitia tantum, qui magnus fons est miseriae humanae, sed virtutes etiam, cum semel receptae sunt in animum, et consuetudine recte agendi firmatae, vias sibi velut quasdam efficiant in animo, in corpore ipso facilitatem, et promtam agendi celeritatem, quo fit, non vt longa deliberatione opus sit, quoties bene agendi offertur occasio, multo minus cum difficultatibus obiectis luctandum; sed vt sponte sua consequantur quae debent, eadem fere ratione, qua musicae artis perito non in consilium eundum est de singulis hinc notis sonorum, atque interuallorum, hinc de digitis in ordinem ponendis, et quae reliqua difficillima tironibus obseruatio est: sed cum semel

inten-

intenditur animus, quin saepe cum id non agit, membra sunt in officio omnia, celeriusque peregerunt, quae oportet, quam susceptа sit de eo, quod agi debeat, cogitatio. Si quis vero hac ratione abuti velit ad extenuandum virtutis opus, ad detrahendum his, quorum tota vita virtus est, vt iam agere aliter vix possint: ille iniquus profecto rerum aestimator fuerit. Quin diuinam in hoc quoque benignitatem indulgentiamque agnoscamus, quae non voluit perpetuis spinis obsitam virtutis viam, non sine fine circa ipsa nos tirocinia iactari; sed molliora etiam his proposuit, qui progressiones primas animose, et conculcatis difficultatibus, fecerint. Immortalibus CAROLINAE diuae laudibus nihil decedit, apud idoneos quidem iudices, et non iniquos, quod sibi, quod suis consuluit, dum profuit rei publicae, qui enim posset aliter, cum sua esset res publica? nec, quod in naturam ipsi ex consuetudine verterat bene agere, humanitate et beniuolentia sua bene mereri de omnibus, omnium sibi animos aureis quasi catenis et adamantinis deuincire? Cogitate mecum illud praesertim tempus, AA. quo in Britanniam primum comitata maritum suum est. Quicumque nostrum vllam temporis illius notitiam habent, ii ignorare non possunt, quantos tum statim amores, quantos plausus excitauerit iis moribus suis, quibus illa semper vsa est; sed quibus nunc maxime opus erat, et quos summo studio iam debebat, si numquam vsa fuisset, consectari. Transierat ad populum, vt eruditum et sapientiae studiis deditum; ita, quod negari non potest, ad suscipiendos amandosque exteros aliquanto minus procliuem. Scilicet, vt Athenienses quondam, vt deinde Romanos,

vt

vt Chinenſes hodie, et prout quiſque populus, vel ciuitas, vel homo, praeſtare ſibi aliis videtur, ſuae virtutis, ſuarum rerum geſtarum, ſuae ſapientiae conſcientia, elatiores reddebat, redditque hodie, et ad peregrinorum, id eſt barbarorum, contemtum propenſiores: ita felicitas ingeniorum, et ille cultus maior fere, quam apud pleroſque populos, Britannicam gentem (neque enim iniquum eſt de gente dicere, quod ad pleroſque pertinet) facit confidentiorem animi, et exteris diſficiliorem. Sed conſueta ſibi virtute vſa CAROLINA, antiqua illa ſua, et Onoldinis Hannoueraniſque iam cognita humanitate, quam faſtigium, in quod iam eſſet euecta, nihil imminuerat, ſed commendabat potius, reddebatque omnibus amabiliorem; illa igitur humanitate ſua ita omnium cepit animos, vt puderet generoſi ſpiritus homines non reſpondere tantae comitati ſuo obſequio, non amare talem familiam, perpetuitatemque illi imperii et optare, et pro virili quemque prouidere. Fuit profecto, fuit iſta CAROLINAE, ad quam liberos etiam ſuos feliciter formabat, humanitas inter potentiſſima arma, quibus expugnatus, abiectus, exutus, et ab omni ſpe excluſus eſt infelix ille imperii Britannici aemulus: et quod toti exercitus non potuiſſent apud liberos et tenaces propoſiti animos, illud caſtiſſimae huius et caeleſtis Veneris ſanctiſſimis illecebris perfectum eſt. Non excludimus AA. GEORGII primi prudentiam, iuſtitiam, humanitatem, cauſſae ipſius bonitatem, ſapientiam miniſtrorum, totumque illum diuinae prouidentiae, vbi res magnas atque memorabiles effici vult, apparatum atque inſtrumentum. Sed parum nobis videntur ad humani

ni ingenii rationes atque receſſus attendiſſe, parum, quae ſuperiori memoria contigerunt, perpendere, quibus non maximum ad felicitatem imperii vtriuſque GEORGII momentum habuiſſe videtur ſummus ille populi in tam amabilem familiam, cuius fundum quemdam CAROLINAM modo diximus, amor, prouocataque ſummis illius meritis beniuolentia. Neque enim ſteriles illius erant gratiae, ſed quo maiorem iam nacta erat bene faciendi materiem, tanto magis beneficae illi naturae ſuae indulgebat, licet optimi magiſtri ſui exemplo accurate taceri iuſſerit bene facta ſua: quorum aliqua tamen ruptis quaſi repagulis in publicum euaſere, gloriamque ipſi, quam ſubterfugit, vel inuitae apud poſteros etiam parient.

Quod, vt reliquam humanam maieſtatem, quam, velut in capaciſſimum vas, prouidentia contulerat, ſic gloriam quoque bene factorum neque magni fecit, neque ſecuta eſt: illud ſapientiae ſtudio debuit, non modo humanae illius, ſed diuinae etiam, atque caeleſtibus nobis oraculis commendatae. Magnifice illa quidem, vt par eſt, de humana etiam ſapientia et doctrinae ſtudiis ſentiebat: quae ſciret pretioſiſſimas eſſe diuinae illius et primigeniae lucis reliquias, conſectandas ſtudioſiſſime, quippe ab ſummo et ipſas rerum omnium auctore profectas, et, ſi nihil aliud, ad hoc ipſum certe neceſſarias, vt fraudem religioſam, vt cogitationum, vel ſomniorum potius, in aegris hominibus ludibria, a veris Dei ad homines mandatis diſtinguamus; vt haec ipſa, contra hos, qui magno numero vel aperte ea impugnare, vel cuniculis quibuſdam

busdam subruere conantur, defendamus. Huius porro sapientiae ita studiosa erat, vt, quam maximarum semper omnis aeui animarum rationem fuisse constat, liberum sibi seruaret iudicium suum, nemini se dederet, neminem vnum verum videre in omnibus, putaret, conferret diuersas hominum maximorum sententias, nec nisi cognitis caussae vtriusque rationibus pronuntiaret, vel potius non pronuntiaret, quam diu subducere se certum illud, et nunc in hanc, nunc in alteram partem inclinare lancem iudicii videretur. Habebat hoc in more positum Philippus Macedo, vaferrimus potentiae illius conditor, qua innixus deinde ipsius filius orbem terrarum si non subegit, peragrauit certe victoriis; Philippus igitur ille solebat, quos ipse per se aggredi non auderet populos, eos caussis litibusque, siue iustae essent siue iniustae, serendis, inter se committere, subuenire imbecilliori, vtrosque opprimere. Similem quidem, sed honestissimam, rationem augendae suae in eruditionis, si quod est, regno potentiae commenta CAROLINA, hoc in more positum habebat, vt doctos homines inter se committeret, non quo illi dissiderent animis; absit talis suspicio a candidissimo pectore, a pacificatore orbis animo: sed vt sententias inter se pugnantes, earumque argumenta, velut signa et arma conferrent. Poscere illa solebat Leibnitii sui, ab Haenflingio, quo Onoldi vtebatur, doctiore viro, quam celebriore, deinde ab ipsa SOPHIA prosocru, sibi commendati, de rebus in philosophia maximis grauissimisque sententiam, eamque scripto sibi tradi iubere: eam deinde epistolam cum Clarckio communicare, et de ea quid illi videatur, quaerere, huiusque iudicium

cium referre ad Leibnitium. Inde natae nobis sunt summorum in suo genere hominum eruditae disputationes ac modestae, vt sub arbitrio nouae Palladis, sub ipsius modestiae oculis peractae; tanto digniores, in quibus vel summa ingenia, (numeranda in his fuerit CAROLINA, si numquam purpuram attigisset), vel primi fastigii femina, versaretur, quod ad ipsam Dei naturam, et rationes, quibus ille in opere suo vtatur, pertinerent. Deum enim, Deum colebat CAROLINA, siue philosophorum se reginam probaret, siue Defensoris Fidei coniugem. Neque enim illa opponendam fidei et patefactae miraculo religioni putabat eam sapientiam, quam ipsa per se humana ratio subiicit; sed alteram altera stabiliendam, illustrandam, liberandam ab obiectis difficultatibus. Quam profundas vera illa fides, quae Deo dicenti habetur, quae hominum commenta, in quantum illi aduersantur, respuit; quam firmas Christiana religio ab hominum vel impostorum, vel antecedentem improuide gregem sequentium, interpolamentis liberata, radices in animo CAROLINAE egerit, cum rebus aliis constat, de quibus suus deinde dicendi locus erit, tum hoc etiam, quod nihil earum rerum, quarum copiam suum ipsi fastigium faciebat, intermisit, quibus conseruari propagarique inter homines possent verae de Deo sententiae. Fuerunt, quod nostis AA. ab omni aeuo principes, fuerunt praesertim feminae in summo rerum fastigio constitutae, quae omni studio propagarent, quam professae erant, religionem: non sunt rara in historiis Christianorum principum magnorum, piorum etiam, nomina. Sed si verum putare quis velit, multa ibi inueniet, quae vim illorum nominum

vehementer imminuant. At CAROLINAE diuae quo quis penitius vitam, mores, ſapientiam, inſpicit, eo puriora omnia, eo liquidiorem verioremque religionem deprehendit. Non illa ſtudio quodam caeco, irrationalique impetu, eam tantum tuebatur, et extollere ſtudebat, depreſſis reliquis, cuius ipſa magna pars erat, cuius caput GEORGIVS: ſed vbicumque pars etiam aliqua veri emicaret, vndecumque ſcintilla caeleſtis lucis adfulgeret, illud amplectebatur, non offenſa admixtis forte erroribus; quae ſciret, hominem non eſſe, qui non errore aliquando labatur; humano generi infeſtum infenſumque, ſi quis puniendos exagitandoſque putaret, qui ſua infelicitate, non deſtinata malitia, a vero aberrant. Igitur ita Defenſor erat Fidei, nuſquam vt oppugnaret homines ad veritatis lucem hebetiores; iuuaret omnes, oppreſſos in primis ſuſciperet, efficeretque, quo commodius colere Deum ea ratione poſſent, quam iudicarent optimam. Hoc dum egit diua CAROLINA, dum ſic diuinae humanaeque ſapientiae ſe ſtudioſam, ſe patronam, pro loco, in quo diuinitus conſtitutam ſe ſciebat, praeſtitit: fecit illa quidem, quod a teneris inde vnguiculis facere conſueuerat, quod propter ipſam vim conſuetudinis vix iam facere aliter poterat; fecit, quod ſummae ſibi voluptati eſſet, quod ſuo marito, quod familiae ſuae, mirifice expediret, quis neget? Sed eadem fecit, quod vehementer prodeſſet rei publicae, et ea ipſa cauſſa, eoque conſilio fecit, vt prodeſſet. Et profuit vel hoc ipſo, quod florem populi, quod omnes, qui vel verae religionis ſenſu tangerentur, vel ſapientiae humanae ſtudia amarent, conciliauit regnatrici familiae: vt quo quis

eſſet

esset religionis amantior, fideique defendendae studiosior, quo quis maioris faceret sapientiam, eo magis gauderet regnare CAROLINAE socerum, regnare cuperet diutissime maritum CAROLINAE, regnare per omnem consequentis temporis perpetuitatem sobolem nepotesque CAROLINAE, ad illius nempe praescripta et exemplum formatos, formandosque in posterum. Quae enim tria fere sunt summa vnius cuiusque rei publicae bona, quorum parandorum retinendorumque caussa in ciuitatem concesserunt, in ciuitate viuere oprant homines, religio, libertas, commercia: priora duo quidni sperarent a CAROLINA, tali qualem descripsimus regina, homines? quae pro sua sapientia non verum modo ipsa videret, pro sua religione non recte modo Deum, bonorum suorum auctorem, coleret: sed illud praesertim sibi negotii putaret datum, vt earum rerum impleret omnes, quibuscum ipsa viueret. Non ignotum vobis est, quicumque serio ea de re cogitastis, AA. quantam in animos mortalium vim exerceat consuetudo et vsus aliorum hominum, eorum praesertim, quos vel ob formae decus, vel ob aliam quamcumque praestantiam, amore prosequuntur: illudque sapientissime machinatam esse caelestem prouidentiam, nouimus, vt e muliebri et pulcro corpore elucens virtus, quasi delinimento quodam, et secretiori potentia virorum animos adficiat, et heroicos ad bona motus in illis excitet. Certissima res est, quae fabularum heroicarum et Romanensium auctoribus materiem, et ex verisimilitudine probabilitatem, cum suauitate maxima conciliat. Nihil quippe naturae nostrae profundius insitum, quam vt amemus, quae pul-

cra putamus. Hinc sapientes viri putandi sunt, malo profecto consilio, misero euentu, a quibusdam philosophis deserti, qui pulcri honestique notionem cum virtute coniunxerunt: qua re illud consequebantur, vt quibus persuasum esset de pulcritudine virtutis, hi non aliis opus haberent argumentis, quibus amabilem esse, quibus persequendam esse, efficeretur: cum quod semel pulcrum quis putat, illud, quo magis putat, eo ardentius sua sponte consequatur, nec subtiles ratiunculas excogitet, cur sequendum sit. Hinc illud porro efficitur, vt illi homines, quos ob quamcumque vel formae, vel ingenii pulcritudinem amamus, potentissimum quoddam, licet idem placidissimum mitissimumque imperium in nos exerceant. Sic dum admiramur, dum libenter vna sumus, dum placere cupimus, verbo, dum amamus, paullatim mores eorum, quos amamus, sumimus. Sapientissimus ingenio et cultu est rex noster, animum late regnatorem, liberrimum, sui iudicii, nemini obnoxium, circumfert, qui corrumpi illecebris, auerti a recto cursu, numquam possit. Sed quid putatis AA.? Nonne ipsa virtus, nonne ipsa quoque sapientia pulcrior, dulcior, amabilior, illi visa esse debet, quam in CAROLINA sua amplecteretur? nonne ab eius complexu, quasi felici quodam contagio virtutis infectus, et igne illo purissimo incensus, videtur vobis rediisse? Liceat sine sacrilegii metu augustos ipsos intrare thalamos, ipsas noctes sanctissimi coniugii inspicere et reuelare. Sunt idonei testes, ita institutum fuisse torum regium, vt mensae vtrimque adstarent cum cereis; in illis porro mensis repositos fuisse varios libellos, hinc ad imperii curam,

ram, hinc ad sapientiae et religionis studia pertinentes: in his augustos coniuges vacuum a somno tempus consumsisse, de his contulisse sententias. Ex hoc lecto nonne sapientior, etsi sapientissimus, nonne melior, optimus licet esset, rex surrexit GEORGIVS? Hoc contubernium non regno ipsi, prouinciisque multum profuisse censebitur? De liberis regiis quid dicam? Nonne materna illis religio, pietas, sapientia, a tenerrima inde aetate, ipsas inter maternas blanditias atque amores, ita commendata est, vt cum matre amare virtutes illas discerent, vt cari illis essent miseri, quas matri ita curae esse, quotidie obseruarent; studia doctrinae, in quibus ita libenter versari matrem, viderent; religio, in qua scirent matri esse omnia; libertas ciuium, quam sanctissime custodiri a matre animadueterent? De commerciorum ratione addimusne aliquid? quam religioni atque libertati ante adiungebamus. Et quidni dicamus, cum late adeo fusa sit eius rei vtilitas, atque ad bonam copiam, propter quam expetunt homines in ciuitate viuere, non minus, quin pro rationibus quarumdam rerum publicarum et regionum, plus etiam, quam illa nutrix plebis et regum adeo agricultura, conferat. Quod cum pro sapientia sua videret regina, nullam intermisit occasionem inuitandi homines iis rebus, quibus maxime duci solent, praemiis et laudibus, vt luberet agere aliquid, quod ad augendas per commercia et officinas varii generis patriae diuitias pertineret. Sic, quidquid fuit, quidquid valuit CAROLINA diua, iuuit rem publicam: sic maximis per eam beneficiis affecit populos GEORGIO subiectos prouidentia. Et nondum diximus,

quod vel ſummum eſt, quod maxime certe proximeque ad hunc locum pertinet. Excelſum, et vt maieſtatis, ſic ſummi etiam conſilii capacem animum CAROLINAE ſuae experimentis quam plurimis deprehenderat GEORGIVS: ſagacitatem eam, quae a diuinatione parum abeſſet, vt de illa conſecratarum apud priſcos Germanos mulierum Velledarum Auriniarumque ſtirpe illam putares: taciturnitatem tanto cautiorem, quod ab affectatione omni remota eſſet, et illud ipſum etiam, tacendum aliquid ſe ſcire, diſſimularet: vim autem conſilii, qua celeriter quidem, quod factu opus eſſet, videret, neque tamen properaret nimis, aut calide quidquam cupideque adminiſtraret; mediocritatem illam auream, illam cognatam comitemque ſapientiae tranquillitatem ſerenitatemque ſemper retineret: fidem denique et religionem eam, vt nihil vmquam ſuae potentiae augendae cauſſa, ſuarumue vlciſcendarum iniuriarum, ſuaſerit. Nimirum neque putabat inferri ſibi iniuriam, licet forte intentaretur; non peruenire ad ſe tela, ſi etiam forte emitterentur. Haec cum in illo ineſſe pectore videret GEORGIVS, in quo ſummam quoque erga immortalem Deum pietatem, ſummum erga ſe amorem, ſummam publicae ſalutis curam habitare, idem cognouiſſet: mirandumne eſt, ipſum non adhibuiſſe modo illam, quoties de re maxima publica deliberaret; ſed plerumque etiam conſiliis illius vſum, et vſum feliciter. Quibus ſucceſſibus numquam illa vel inſolentior facta eſt, vel audacior, quae numquam ſuae eos prudentiae tribueret; ſed ſuo bene regi ſuadendi ſtudio, rectеque conſulendi rei publicae, felicem diuinitus euentum reſpondiſſe, diceret. Qua in re illud

illud saepe apparuit, summam esse sapientiam consiliarii, recta velle, honesta suadere; summam regnandi artem, honesta suadentes maxime audire. Non autem consiliarii modo personam pulcerrime CAROLINA, maximaque cum salute ac dignitate rei publicae, sustinuit: verum etiam ipsa Britannici imperii sceptra, aliquoties ab augustissimo rege, ad nos inuisente, sibi commissa, ita gessit, vt Elisabetae, sapientissimae reginae, imperium qui ex historiarum monumentis cognouissent, in diua CAROLINA se, quae in illo laudantur, omnia obseruare arbitrarentur. Quod igitur ad nos inuisere commode potuit pater noster indulgentissimus, quod locum ante hos aliquot annos praesens capere huic sapientiae et virtutis templo, quod bis postea praesentia sua hanc patriam nostram exhilarare; quod securus, hilaris, metu solutus omni, ne quid secus per absentiam suam administraretur, degere inter nos, nostramque ex proximo procurare salutem potuit; quod in Britannia nemo sensit abesse regem, ordinem omnia suum tenuere, bene feliciterque res gesta est: harum rerum omnium caussa, quas publicas et maximas esse intelligimus, gratiae immortales debentur CAROLINAE diuae, quam fortunae populi, pacis augustae, similibusque nominibus consecratam, templis altaribusque et nummis prosecutura fuerat, si res ita tulisset, prisca aetas: nos quoque, quantum possint artes nostrae, in hoc vno nobilissimo argumento experiemur: qua re tibi quidem, CAROLINA diua, nihil accedet, cuius memoriam amor hominum, et propitia inter posteros, quicumque erunt, commemoratio seruatura videtur, si vel nullae essent litterae, non secus ac pri-

ſcorum nomina heroum, per multorum ſaeculorum decurſum, ad ea tempora ſeruata ſunt, cum litterarum vti monumentis homines coeperunt. In partem eius rei venient non ii modo, qui tui per Britannicas Guelficaſque terras ciues fuerunt, et ea ipſa re maximis per te beneficiis a diuina prouidentia affecti ſunt: ſed tam late illa patebit tuarum virtutum, tuae gloriae, praedicatio, quam late hinc homines Britanniae Guelficaeque rationibus innexi ſunt, hinc virtutis tuae exemplis, vel incrementis ſapientiae, iuuantur; adeo vt per totum pene orbem terrarum, et qui iam viuunt homines, et qui futuri ſunt, tuis tibi beneficiis obſtrictos, tuorum decorum praecones, habitura ſis. Sic ſe rem habere, AA., non longa demonſtratione opus eſt. Eam eſſe conſtat Guelficae ditionis cum reliqua Germania coniunctionem, ad totam vt Germaniam pertineat, pacatam illam, felicem, talem eſſe denique, quales GEORGIVS et CAROLINA ciues ſuos efficiunt: Magnam autem Britanniam Europae totius quaſi arbitram, quam nulla neceſſitudo alii regno iniungat, quae ſuis per ſe viribus ſe ſuſtineat, vim externam non temere metuat, abradere quidquam de vicinorum poſſeſſionibus, aut limitem proferre ab ipſa natura poſitum non facile cupiat: quae contra propter nauium multitudinem et copias reliquas, accedere ad omnes maris oras poſſit, adiungere ſe cui voluerit, eaque ipſa coniunctione ſubleuare imbecilliorem, vt cuicumque potentiae par ſit. Hoc ergo praeſtat rebus Europae Magna Britannia, vt Magnum aliquem Alexandrum, an latronem? non metuat, qui vana gloriae aut potentiae imagine inſtinctus, conculcatis iuribus, vicinos opprimat,

et

et crescente subinde per ipsas victorias potentia, grassetur semper latius, et ad vniuersalem, quam vigilantes quidam superiore aetate somniabant, monarchiam magnis passibus contendat. Hoc ne accidat, ne sub vnius potestatem, vel seruitutem potius, recidat Europa, impedimentum ac remoram obiecit prouidentia regnum Magnae Britanniae, cuius ea ab aliquo inde tempore ratio est, ex quo nimirum florent ibi religio sine seruitute, libertas iuri suo nihil metuens, commercia, quibus totum sibi orbem deuinctum habet, vt vel turbari Europam passa non sit, oppressis in ipso cinere flammis ante aliquando, quam erumperent, vel incendia ipsa, latius grassari ne possent, tempestiue restinxerit: cuius rei plena est GEORGII vtriusque historia. Quantae vero hic partes fuerint CAROLINAE diuae, facile est ad intelligendum; quae ita se instituerit, quasi hoc ipsum sibi negotium a prouidentia datum esset, suae mansuetudinis, suae humanitatis implere genus humanum; ipsum primo maritum suum, si quando generosiores illi animi impetus minari quiddam viderentur merentibus, suo illo miti ingenio, suo obsequio demulcere, atque ad tranquillitatem illam serenitatemque, qua amor populorum est, reuocare; deinde consilia omnia ad pacem, ad otium referre, quibus rebus scilicet non eas modo, quas ipsa adamauerat, artes florere, sed Europae, sed orbis terrarum salutem contineri, nosset. Vt enim erat animi non minus ampli atque capacis, quam mundus est, quam sidera, quorum illa totam compagem, atque machinationem, in quantum homini adhuc licuit, Neutono suo praeeunte, complexa

esset: sic humile, et angusti ingenii putabat, suae tantum potentiae amplificandae caussa laborare, aliorum miseriis vel iniuriis velle crescere. Totum hoc, quidquid est hominum, diuinam in hoc quoque bonitatem imitari studens, complectebatur, vnam illam magnam hominum omnium ciuitatem cogitabat, huic cupiebat prospici; sic demum beatam Britanniam fore putabat, si illius ope caetera etiam regna tranquilla pace, et beato honestoque otio, fruerentur. Itaque, quod in alendis virorum eruditorum controuersiis Macedonis illius arte vsam dixi, eam in re publica detestabatur, magnum florentissimumque futurum rata mariti sui imperium, non si mutuis caedibus fatigati, quos aemulos suspicari posset, tandem succumberent: sed si omnes circa se populi, beati ipsi quoque, suae felicitatis in eo partem ponerent, beatum esse regnum GEORGII. Quod si eam mentem daret Deus regibus omnibus, hoc est, si reges omnes illam diuinae sapientiae partem, quae se vndique ingerit, admitterent potius, quam infelici illa Leuiathanis de bello omnium contra omnes disciplina abuterentur: longe aliam rerum faciem videas exsurgere, conuersa in hortos munimenta vrbium, in vomeres arma, laboriosam et per hoc felicem multitudinem, sibi patriaeque vtilissimam, quae nunc difficili otio torpens, nugacibus exercita laboribus, oneri sibi est maximo, non paruo aliis. Sed haec sperare, somnium est: nos in verissimis solidissimisque CAROLINAE diuae laudibus versamur, in quibus illam quoque putamus longe maximam, quod non somnia erudita, non sterilem quamdam philosophiam, non solis ciuitates, aut Platonis res publi-

cas

cas sectata est. Male audiunt non numquam eruditi principes, nec forte omnes sine caussa, quod ita quidam se abdidere litteris, vt obliuiscerentur rei publicae. Hi dum requirebant, aurumne fieri posset e metallis ignobilioribus? eique rei mentem, oculos, forte manum quoque; admouebant, non auro tantum emungebantur a suis, quae tolerabilis iactura, sed exprimi illud per vim iniustam cum ipso sanguine ciuibus patiebantur: dum caelum describebant radio, terras amittebant: prae versiculis legendis, aut modis musicis audiendis, persequendis, faciendis, supplices miserorum libellos, voces oppressorum, negligebant. Minime talem coluit sapientiam CAROLINA: sed quod de Socrate praedicabat vetustas, illum philosophiam caelo deuocatam in vrbes introduxisse; in throno ipsa collocauit sapientiam, magistram vitae fecit, rebus gerendis consiliariam adhibuit. A contemplatione nempe rerum caelestium amplum, excelsum, contemtorem vanitatis, animum retulit. Quo magis in religionis intima se adyta penetrauerat, et hinc, quam late fusus esset error, intelligebat: eo ipsa religiosius colebat Deum, suae maiestatis, suae sapientiae auctorem; eo minus ferre poterat, aliquem ideo puniri, quod alia via honorandum sibi numen putaret. Cognoscendis interioribus naturae et ingenii hominum rationibus ita vsa est, vt tanto maiori eos arte tractaret, tanto facilius ad rationes suas adiungeret. Quod cum faceret, quantumque profuisset sibi sapientia, non disputatiunculis minutis, sed maximarum rerum actu, et ista vitae ratione, ostenderet: illo quantiuis pretii beneficio affecit studia sapientiae, vt crimine isto liberata, quasi ineptos

rebus

rebus gerendis reddant homines, et tenebris scholae alicuius, quam solio et rei publicae aptiores, bene audiant apud eos, qui non omnino vel imperiti vel iniqui sunt, et inter imperandi artes atque instrumentum merito suo referantur. Nemo igitur reprehendere audet, quod hunc honorem habuit hominibus eruditis, vt, quasi et illa sit nobilitas, quae ingenii cultu et doctrina constat, eos ad manum, ad colloquium admisit, scripta illorum vel priuata, vel publica placide accepit, disputationes illorum excitauit, fouit, necessitatibus illorum succurrit, et vt pudori eorum consuleret, gratias sibi agi vetuit; quod mortuorum quoque honori hoc dedit, vt illorum imagines sumtu suo, sua in villa, sua in bibliotheca dedicaret, eaque re nobiles illos, vetere quidem Romanorum iure, faceret. Potuitne maior honos contingere, vt hoc potissimum vtamur, Neutono, quam quod praedicantem audiuere multi reginam, se gaudere eo se tempore natam, quo Neutonus floreret, quo nosse virum, quo frui illius ingenio ac doctrina, posset. Statuis profecto trecentis, quibus Phalereus ille Demetrius ornatus est, hoc reginae iudicium praetulerim. Quos illa res stimulos debuit subiicere animis eorum, qui iisdem in studiis versarentur? quam accendere illud exemplum eos, qui viderent ex propinquo, gradum esse ad amicitiam celsissimae principis, si quis praeter caeteros in iis rebus elaboraret. Quanto apud omnes, qui nunc viuunt, homines; quanto, quam honorifico ad omnem posteritatem, praeiudicio ornata doctrinarum studia? Quantum hoc diuinae prouidentiae per CAROLINAM in omnes homines beneficium? Et tamen ausim dicere, maius

illud

illud esse, quod virtutis exemplo praestitit. Nescio, quid aliis usu veniat, AA. Ego quidem, ita mihi vota mea contingant! toto me animo, ipsisque etiam venis intimis atque medullis, commoueri blando quodam ardore sentio, quoties cogito, virginem principem, fastigii sui conscium, splendoris et magnificentiae non imperitam, ea aetate, quae ad externarum rerum sensum est procliuior, inter tot exempla, tantum habere animi robur, tam firmam aduersus ingeniosa et splendida argumenta constantiam, vt verum, quod edocta esset, quodque ita se habere, liquido cognouisset, tueri mallet, quam dimisso illo, quae summa sunt in rebus humanis, consequi. Quis non hic vim veritatis agnosceret, quae virium tantum conciliare imbecillis alioquin possit? Quis non amore orbis terrarum dignum putet, etiam si forte de religione aliter sentiat, eum animum, qui recusare potuit, quae CAROLINA deprecata est ea sola caussa, ne quid de eo proderet, quod verum, bonum, sanctum esse, idoneis argumentis et fide optima credidisset. Luculentis indiciis testatus videtur Deus, quam sibi placeret ista heroinae suae constantia. Malebat illa conscientiam sequi, tueri quae vera sciret, quam prima omnium hominum sui sexus esse. Hanc animam vere liberam, vere ingenuam, in illo collocat throno, illi regno imponit, in quo haec ipsa regnant, quae tanti CAROLINA fecerat, occasionemque adeo illi praebet summae virtutis, qua proxime ad diuinam rationem acceditur, mitem illum dico aduersus dissentientes animum, humanissimam illam aequitatem, quae patitur suam vnumquemque in consilio habere, et sequi conscientiam, dum non furere se, non sibi

aliis-

aliisque ferocia et licentia potius, quam libertate infestum esse demonstret. Si quis, quam sit haec amabilis, quam diuina virtus, qua tantum CAROLINA valuit, nondum recte intelligat, ille historiarum monumenta inspiciat, indeque repetat, quot miserias innocentissimorum hominum, quot caedes ac strages, quot ruinas vrbium, quot regnorum vastitatem, pepererit infelix illa quorumdam principum ratio, quae pietatis nomine aliis ac iustitiae, aliis etiam prudentiae titulo imposuit, vt cogere vellent homines illa credere de rebus maximis, quae falsa putarent; vt vi et armis religionem iis obtrudere, quae ab hoc ipso omnem vim suam habet, quod sponte suscipitur. O salue, CAROLINA diua, et aeternum triumpha, vel hoc solo nomine, quod illud nobis pignus, illud verissimum Palladium, conscientiae et religionis libertatem, exemplo tam singulari, felicitate adeo commemorabili, tuita es, et saeculis omnibus commendasti.

Malo hoc veritatis et religionis fato accidit, AA. vt libertatem religionis illi fere maxime crepent, qui ab omni sunt religione, quid dico religione? ab omni prudentia et sana mente adeo alieni: qui eam vitam viuunt, eas in vulgus spargunt sententias, quibus licentiam dare, vt mitissime dicam, periculosum, et bonis ipsis incommodum fuerit. Alia longe mens CAROLINAE, aliud institutum. Non illa opus habebat ea philosophia, quae metum Dei tollit, quae fenestram licentiae aperit: nihil ipsa aduersus supremam illam naturam religiosius, nihil illi Christiana persuasione ac fide carius, nihil tota ipsius vita sanctius. Hoc ipsum inter summa prouidentiae

dentiae

dentiae beneficia, per CAROLINAM orbi terrarum exhibita, referimus, quod dum de vita illius constabit, frustra homines in aliquo fastigio constituti difficultatem excusabunt vitae, qualem sanctissimus seruator noster a suis postulat; frustra aulae tumultus, frustra negotiosam illam nihil vel male agendi inertiam, obstare sibi dicent, quo minus officiis Christianis satisfacere possint. Refutabit illos CAROLINAE exemplum, quam neque summa, de quibus diximus, regni negotia, neque sapientiae humanae studium, neque aulica illa elegantia, et splendor ille externus, quo maiestas commendari debet oculis etiam imperitorum; quam nihil horum reuocare ab eo instituto potuit, cui a tenera inde aetate innutrita fuerat, a consuetudine quotidie ac diligenter meditandi diuina oracula, eorumque praescriptis vitae suae rationes, quantum fert mortalis conditio, accommodandi. Sed vt excusationem difficultatis auferet maius exceptione omni exemplum; sic ab altera parte excitabunt homines pietatis et religionis praemia in CAROLINAM diuam collata. Specioſa est, AA. primum quidem intuentibus, Fenelonii, et illorum, qui mystici vocantur, quique vitae interioris prae caeteris volunt studioſi videri, sententia, sine spe praemii Deum esse colendum, amandum esse, si ad inferos te deturbet, inter ipsos damnatorum cruciatus, numen, quod cum maxime iratum experiaris, esse amore prosequendum. Hunc amorem vocant suae vtilitatis respectu liberum, purum, aeterna gloria dignum. Vehementer vereor, vt qui illum nobis purum amorem vel primi excogitarunt, vel serio propugnant, veras amoris, odii, vtilitatis, hominis, Deique adeo, notio-

notiones habeant? Melius nouerat Deum CAROLINA, melius noſtri animi rationes excuſſerat, quam vt purum id genus amorem vſquam eſſe putaret, vel ipſa ſectaretur. At hoc tamen habuit, ab excelſo animo et vere magno profectum, vt praemia ſuae in Deum pietatis non exſpectaret extra ipſum Deum poſita, mercedem virtutis aliam, praeter illam, quam ipſa ſibi praeſtat, non exſpectaret. Et tamen praeter illam comitem verae ſapientiae, mentis ſerenitatem, qua caeleſtis vitae guſtum, hic dum eſſet, praecipiebat, conſecuta eſt, quae optare et voto fingere maiora etſi minus generoſa fuiſſet, vix poterat, maritum late regem, virtutibuſque omnibus condecoratiſſimum, cui ipſius virtutis nomine eſſet cariſſima; regni opulentiſſimi ſocietatem; ciuium amorem, quantus eſſe poteſt maximus; liberorum ſacram Pleiada, quam futuro ſaeculo quoque ornamento futuram maximo, virtus illorum et feliciſſima educatio promittat; generum, nurum, liberis ſuis ſimillimos; neptem amabiliſſimam, gloriam numquam intermorituram. Nimirum vt in Salomone quondam Deus, ita nunc in CAROLINA, illud mortalibus oſtendere voluit, quibus hoc propoſitum ſit ſerio, vt ſapientiam et virtutem reliquis rebus omnibus praeferant, eos non id ſolum, quod concupierint, ſed maximarum rerum inſuper, quaſque ſolas alii optant, velut corollaria quaedam accipere. Qualem te praedicemus, quam te, regina, dicamus his etiam, qui poſt nos viuent, amabilem huius quoque beneficii nomine, quod per te mortalibus diuina prouidentia praeſtitit! Supereſt vnum, maximum illud quoque, ſed a cuius commemoratione prope refugit animus, quod

cum

cum ipso summi nostri doloris argumento coniunctum sit. Dicendum tamen est, retractandum vulnus nostrum, circumspicienda medicina. Inter praemia, quae virtuti CAROLINAE diuinitus adiuncta sunt, merito referimus heroicam illam moriendi constantiam, non a furore quodam, obfirmati induratique contra aeternitatis metum animi, profectam, non a stupore sensum doloris praesentis, et futuri praesensionem adimente, tractam; sed ortam a conscientia, a certissima earum rerum, quas professa fuerat, persuasione, a gustu quodam aeternae, cui intenta erat, et qua iam fruitur, felicitatis. His armata praesidiis neque morbi cruciatus impatienter conquesta est, neque dolorem ex curatione parum tulit fortiter, nec ipsam denique mortem perhorruit, nisi in quantum sensit adstantem lecto suo regem male dissimulare lacrumas, vix reprimere emergentem gemitum, aegre dolori resistere; liberos autem suos, filias praesertim virgines, dolori pene succumbere. Caeterum quam diu sensus viguit, CAROLINAM agnosceres, nihil indignum summa virtute, summa sapientia, summa pietate, videres, morientem etiam Deo caram, et in exemplum constantiae propositam, diceres. Sic abiit a nobis, quod diuinum, quod caeleste, quod aeterna dignum veneratione nostra, CAROLINA habuit. Discessit ex oculis nostris instrumentum incomparabile prouidentiae aeternae, quo innumera prope bona domui ipsius, patriae, orbi terrarum, contulit. Iacturam fecimus irreparabilem, AA. saecula abeunt ante, quam par aliquid aut secundum CAROLINAE exoriatur. Consolationem non admitteret dolor noster; non

magis finem haberet, quam finem aut modum habent, quae bona ab illa in nos profecta sunt: nisi parum decorum videretur, illam sine modo lugere, quam nunc demum feliciſſimam, et summae votorum suorum compotem, norimus; cuius nunc demum pulcritudinem, caelesti fulgentem luce, et siderum claritati nihil concedentem; sapientiam, cui nihil porro obscurum esse possit; tranquillitatem, quam nulla vmquam res queat perturbare. Ipsius igitur nomine gaudeamus potius et gratulemur, par est. Quae vero in nos bona contulit, ea magnam partem talia sunt, quorum fructus nobis constet etiam, postquam ipsa inter nos versari desiit. Vnum est, quod nos angit: vna dolendi causſa ita facile eripi nobis non potest. Solitudo nos iustiſſimusque moeror GEORGII, patris nostri indulgentiſſimi, sollicitat. Ille, ille versatur ante oculos, vt oculis aberrantibus subinde, animo quidem semper, requirat iucundiſſimam coniugem, fideliſſimam consiliariam, sociam totius vitae commodiſſimam, cuius illum diuina suauitas demulcere inquietum, sapientia incertum firmare, amicitia iuuare laborantem, solebat. Haec nos optimi parentis imago, tum liberorum GEORGII atque CAROLINAE, squalor et luctus vehementer, vti par est, commouent, neque ita facile patiuntur acquiescere. Sed quando alia nequidquam remedia circumspicimus; ad vota, agite, AA. piasque preces conuersi, eamdem cuius adhuc collata nobis per CAROLINAM beneficia praedicauimus, caelestem prouidentiam imploremus, vt subuenire suae potestatis inter nos vicario velit, suique cogitatione implere mentem GEORGII, vt quae gra-

gratus accepit per CAROLINAM suam munera, iis aequo animo careat, vel potius non plane iis se carere sentiat: sed cum ad animum pertineant pleraque, in eoque scripta penitus ac defixa sint, iis vtatur cum ad leniendam sedandamque molestiam, e desiderio tantae dulcedinis, quantum conuictus illius habuit, ortam; tum ad reliquae vitae, quam productissimam illi vel de annis nostris optamus, beatam inter tot regnandi negotia tranquillitatem. Saluum fac, domine, regem nostrum GEORGIVM! caelestem illi de spiritu tuo vigorem praesta! Animum illius serenitatis de tuo fonte haustae imple. Tuae illum beneuolentiae certissimis signis erige et robora. Fortunatissimum illum et liberorum suorum et populorum patrem, vtrorumque felicitate solidum gaudere gaudium iube; et tamquam certum excubantis pro publica tranquillitate prouidentiae tuae argumentum, quam diutissime inter nos versari, carum, vt est, suis ciuibus, omnibus amabilem, hostibus, si qui tamen sint, metuendum, tibi commendatissimum, ac sera demum nepotum nostrorum aetate ad te et CAROLINAM euoca.

* *

XVII.

PROGRAMMA
ORATIONI
IN
DIVAM CAROLINAM
DETLEV BONAVENTVRAE RANZOVII
PRAEMISSVM.

Sic promerita est CAROLINA diua de re publica et de genere humano, vt omnes omnia conferre par sit, ad ornandam post obitum etiam illius memoriam, eamque grata commemoratione non modo his, qui iam viuunt, commendandam, sed propagandam etiam ad posteros. Quid igitur nos faciamus, ad quos praeter caeteros multiplex adeo fructus virtutis et sapientiae illius pertinet? Profecto cum omnia debeat GEORGIO patri et rectori suo magnificentissimo haec academia: tum hoc praeter caetera, vt si quid habent ingenia, et litterae nostrae, quod vel ad consolandum ex tam ingenti iactura moerorem ipsius valeat, vel ad perpetuandam CAROLINAE GEORGII memoriam, illud summo studio, et enixissima opera praestemus. Itaque lubenter accepimus, cum ad

nos

nos referret iuuenis maiorum suorum et sua virtute generosus

DETLEF BONAVENTVRA RANZOVIVS

sibi in animo esse, post publicum officium, et honorem nuper ab academia reginae immortali praestitum, priuatae etiam suae pietatis significationem edere. Commentatus ille est luculentam omnino de virtute CAROLINAE heroica orationem, cui cum praeludere pro academiae more oporteat, et aliquid non inutilis doctrinae proponere, visum est illud ipsum argumentum illustrare, et *in quantum heroinae nomen etiam de antiquitatis consensu tribui* CAROLINAE *possit?* stricte tamen, et quantum hae angustiae patiuntur, demonstrare. Cum ante omnia testimoniis idoneis ostendendum sit, quam vetusti homines *herois* notionem habuerint, nec omnia illorum loca in praesens referre liceat, ablegabimus eos, qui nihil ignorare volunt, ad ea, quae Ezechielis Spanhemii, viri illustris studio atque ingenio collecta sunt *a*). De ipsius vocis origine ita disputat apud Platonem Socrates *b*), vt ludere potius more suo, quam serio rem gerere videatur, et tamen simul

 aliquid

a) *Ad* IVLIANI *Caesares p. 289.* et *p. 448. seqq.* ad *eiusd.* IVLIANI *Orat. I. p. 294. seq. ad* CALLIMACHI *Hymn. in Dian. v. 159. p. 240. seqq.* denique *de vsu et praest. num. diff. XI. p. 330. seqq.* quibus locis ita multa, ita erudita de hoc argumento dedit, vt difficile sit aliquid illi indictum proferre.

b) In *Cratylo p. 236. E. Laemar.* Σμικρὸν παρῆνται αὐτῶν (Ἡρώων) τὸ ὄνομα, δηλοῦν τὴν ἐκ τοῦ ἔρωτος γένεσιν --- ἡμίθεοι οἱ ἥρωες --- γεγόνασιν ἐρασθέντες ἢ θεὸς θνητῆς, ἢ θνητοὶ θεᾶς. κ. τ. λ.

aliquid non inutile docere: ab *amore* dictos censet, qui *Eros* Graecis est; nasci enim heroas, quoties hominem Deus, aut Dea amore singulari et venereo complectantur. Nempe *Semidei* heroës, ex vtroque semine concreti, maiores proinde quam alioquin fert humana conditio, aemuli caelestium deorum, cum mortalis admixtio a parte illa immortali superetur, quae Philonis *c*) verborum sententia est. Vt solet satis acute Episcopus *d*) Homeri interpres ad morum disciplinam accommodare antiquas fabulas, ita hac de re hunc in modum ex veterum commentariis philosophatur, virtutum alias viriles magis et seueras esse, vt fortitudinem, vel iustitiam, quatenus

c) In *libr. omnem probum esse liberum p. 881. B. Heroas* μείζας ἢ κατὰ ἀνθρωπίνην Φύσιν γενομένας Ὀλυμπίοις ἀμιλλᾶσθαι, μικτῆς γενέσεως, ἀθανάτων καὶ θνητῶν ἀνακραθέντων σπερμάτων, ἐπιλαχόντας, ἡμιθέας εἰκότως προσαγορευθέντας, τῷ θνητῷ μίγματος ὑπὸ τῆς ἀφθάρτου μεριδος καταμρατηθέντος.

d) EVSTATHIVS *in Il. A. p. 18. ed. Rom.* Σοφώτερόν τινες ἐμβαθύναντες τὸ ἐξ ἀνδρὸς καὶ θεᾶς, ἢ ἐκ θεοῦ καὶ γυναικὸς θνητῆς τοὺς Ἥρωας γενέσθαι, ἔτως ἀνήγαγον. Φάμενοι τῶν ἀρετῶν τὰς μὲν ἀῤῥενωπὰς καὶ ἀνδρώδεις, ὅιον τὴν ἀνδρίαν τὸ τῆς δικαιοσύνης ἐπεξελευσικὸν κατὰ τῶν ἀδικούντων, τὸ τῆς Φρονήσεως δρασικὸν, καὶ τὰ τοιαῦτα· τὰς δὲ ὅιον θηλυτέρας διὰ τὸ μαλθακώτερον, ὅιον τὴν ἐπιείκειαν, τὴν Φιλίαν, τὸ πρᾶον, τὸ ἐλεεῖν, καὶ ὅσα τοιάδε· οἱ μὲν ἓν ἀνδρώδες ἀρετῆς μέτοχοι ἄνθρωποι, θεᾶς πατρὸς ἐλέγοντο· οἱ δὲ τῆς θηλυτέρας, ἀλλ' ἔτοι μητρὸς θεᾶς ἐφημίζοντο. κ. τ. λ.

quatenus iniustos aggreditur et persequitur; vt prudentiam, quae in actu rerum versatur, et similes: alias vero magis velut muliebres, quod leniores mollioresque, vt aequitatem, amicitiam, mansuetudinem, misericordiam, et quae sunt in eo genere. Qui igitur virilis illius virtutis partem haberent homines, eos Deum patrem habere dictos; deam matrem vero, qui muliebris. Subiungit deinde historicam eius rei rationem, quam breuius licebit Chrysostomi Dionis *e*) verbis enarrare: ideo, inquit, genus eorum, qui heroës vocantur, ad deos statim poëtae referunt, ne de persona amplius quaeratur. Ac pleroque illorum a Ioue dicunt genitos, ne reges ipsis et vrbium conditores, et qui nomina dederunt posteris, in ea incidant, quae turpitudini esse inter homines ducuntur, nempe in humilitatem gentis et sordes natalium, quod euitari non potest, si quamcumque etiam nobilissimam genealogiam vltra insignes illos viros, et splendoris auctores, continuare lubeat. Deorum igitur filios heroas ipso quoque nomine indicari vult ille apud Platonem Socrates. Sed subiungit etiam caussam aliam, nimirum a sapientia, et differendi persuadendique arte dictos, cum verbum, quo de illa arte vtuntur Graeci, ad

e) *Orat. 15. f. de seruitute p. 238. B.* Τοῦτο ἕνεκεν τὰ τῶν ἡρώων λεγομένων γένη εὐθὺς εἰς θεοὺς οἱ ποιηταὶ ἀναφέρουσιν, ὥστε μηκέτι ἐξετάζεσθαι τὸ πρόσωπον. καὶ τοὺς γε πλείονας αὐτῶν φασιν ἐκ Διὸς γεγονέναι, ἵνα μὴ αὐτοῖς ὅτε βασιλεῖς, καὶ οἱ οἰκισαὶ τῶν πόλεων, καὶ ἐπώνυμοι, εἰς τοιαῦτα ἐμπίπτωσιν, ἃ δοκεῖ παρὰ τοῖς ἀνθρώποις ὀνείδη εἶναι.

herois appellationem non inepte cadat *f*). Et in Phaedone *g*) negat in deorum genus, qui sunt heroës, quemquam venire, nisi qui philosophatus, et omnino castus hinc abierit, aut cupidus discendi certe fuerit. Qui post exortam Christianam fidem philosophati sunt ethnici, vt solebant exornare Platonis dogmata, quo illa minus a veritate, quae oculos illorum perstringebat, viderentur abhorrere; ita hac in re etiam delicate versati sunt. Ponemus infra Hieroclis *h*) verba, quibus Platonica ista ita inflectit, vt ab *amore* et a *dicendo* ipse quoque nomen heroum deducat, sed interpretetur amorem, quo in deum ferantur, et illam disputandi artem, quae animos a terrena consuetudine ad caelestem ciuitatem extollat. Non posuissemus illam de nomine disputationem *i*), nisi eadem etiam, quos primum nomine

f) *l. c.* ἢ ὅτι σοφοὶ ἦσαν, καὶ ῥήτορες, καὶ δεινοὶ, καὶ διαλεκτικοὶ, ἐρωτᾶν ἱκανοὶ ὄντες, τὸ γὰρ εἴρειν λέγειν ἐστίν.

g) *Pag. 386. E.* Εἰς δέγε θεῶν γένος μὴ φιλοσοφήσαντι καὶ παντελῶς καθαρῶ ἀπιόντι ἐ θέμις ἀφικνεῖσθαι, ἄλλως ἢ τῶ φιλομαθεῖ.

h) *in A. C. p. 36. Needh.* Ἥρωες ὡς Ἐρωτές τινες ὄντες, καὶ Εἴροντες, ὅιοι ἐρωτικοὶ καὶ διαλεκτικοί, ἐραζαὶ τᾶ θεᾶ, ἄιροντες ἡμᾶς καὶ κἀφίζοντες πρὸς τὴν θείαν πολιτείαν ἀπὸ τῆς ἐν γῆ διατριβῆς. Haec est illa μελέτη θανάτε in PLATONIS *Phaedone p. 386. A.*

i) Commodissime forte illius ratio, vt antiquissimorum quorum ue nominum ex oriente deriuatur, vbi radix חר varie ad *libertatem*, *nobilitatemque* et

mine heroum signandos putauerint veteres, indicare licuisset. Sed, vt fit, dilatus mox est vsus nominis, ab Homero praesertim, qui qualemcumque hominum praestantiam et virtutem, bellicam, ciuilem, priuatam, hoc nomine signauit k). Reliqui scriptores Graeci hoc fere seruarunt, vt ad vita functorum l) honorem illud referrent, illorum in primis,

et *splendorem* significandum refertur, quod probatur etiam BOCHARTO, in *Chan. I, 18. p. 482.* itemque VOSSIO *Etymol.* Et necesse fere est idem in mentem venire omnibus, qui in oriente antiquo non sunt hospites. Eodem fonte etiam fluxit Ἥρα, *hera*, *domina*, Iuno.

k) Facile hoc vnicuique occurret, si quis modo sumere laborem velit euoluendi ope *Seberiani indicis* loca, frequentissima illa quidem, in quibus hac appellatione vtitur Homerus.

l) Mortalium proinde natura sua, qui ideo ἀθανάτοις opponuntur: vnde HERODOTVS II, 44. cum docere vult duos esse Hercules, τῷ μὲν, ait, ὡς ἀθανάτῳ θύσι, τῷ δὲ ἑτέρῳ ὡς ἥρωι ἐναγίζουσιν. ἐναγίζειν nempe est honorem habere mortuo, parentare. Huc inprimis pertinet elegans locus DIONIS CHRYSOSTOMI *Or. III. de regno p. 45. C.* vbi inter boni regis sententias ponit, Οὐ μόνον δὲ ἡγεῖται θεὸς, ἀλλὰ καὶ δαίμονας, καὶ ἥρωας ἀγαθὸς, τὰς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ψυχὰς, μεταβαλὼν ἐκ τῆς θνητῆς φύσεως Τοῦτο δὲ βεβαιοῖ τὸ δόγμα ἐχ ἥκιστα χαριζόμενος αὐτῷ. Nempe ipsius interest, magnifice homines de heroibus sentire; vt de Augusto SENECA *Consol. ad Marciam, c. 15. cuius cum maxime intererat, de diis neminem queri,* in quibus nempe mox ipse referendus esset.

qui vel vrbium conditores *m*), vel familiarum aut tribuum populorumue *n*) fuissent, quique cecidissent, fortiter pro patria pugnantes in praeliis *o*). Sic qui in Marathonia pugna ceciderunt, heroës a ciuibus suis appellati sunt. Splendida est oratio, qua apud Iosephum *p*) cohortatur milites suos Titus, eosque commonet inter alia, bonorum et fortium virorum animas, in acie ferri ope solutas carnibus, a purissimo elemento, aethere, hospitio quasi accipi, inter sidera collocari, posteris vero suis vt bonos genios et propitios heroas apparere. Cumque quanta

m) Multis hoc illustrare liceret: laudamus modo *Herodoti I, 168.* vbi Timesio a Teiis Abderitanis hunc honorem habitum narrat. Plura volentibus dabit PAVSANIAS. Vid. *not. proxima*

n) Hi sunt ἐπώνυμοι, quos appellat etiam DIO CHRYSOSTOMVS ipso loco, quem ad *e*) notam modo laudauimus. Dubitare non sinit PAVSANIAS, qui in *Atticis p. 4, 41. Wechel.* commemorat statuas heroum, ἀφ' ὧν Ἀνθηναίοις ὕστερον τὰ ὀνόματα ἔσχον αἱ Φυλαί: et statim subiungit, τῶν δὲ Ἐπωνύμων (καλοῦσι γὰρ ἅτως σφᾶς) ἔστι μὲν Ἱπποθόων κ.τ.λ. vid. *not. seq.*

o) PAVSANIAS *Att. p. 31, 23.* Σέβονται δὲ οἱ Μαραθώνιοι τούτους τε, ὃ παρὰ τὴν μάχην ἀπέθανον, ἥρωας ὀνομάζοντες, καὶ Μαραθῶνα, ἀφ' ἑαυτῷ δήμῳ τὸ ὄνομά ἐστι κ. τ. λ.

p) *De bell. Iud. VI, 1. p. 1263. 30. Hudson.* Τίς γὰρ οὐκ οἶδε, τῶν ἀγαθῶν ὅτι τὰς μὲν ἐν παρατάξει ψυχὰς, σιδήρῳ τῶν σαρκῶν ἀπολυθείσας, τὸ καθαρώτατον στοιχεῖον αἰθὴρ ξενοδοχῶν ἄστροις ἐγκαθιδρύει· δαίμονες δ' ἀγαθοὶ καὶ ἥρωες Εὐμενεῖς ἰδίοις ἐκγόνοις ἐμφανίζονται.

quanta esset vis pulcritudinis non ignorarent, in eaque diuinum quiddam agnoscerent, etiam ea caussa heroum nomen quibusdam *q*) datum esse accepimus. Habuit igitur eam fere vim *herois* appellatio sollemnis inter Graecos, quam Romana *consecratio*: vnde fit, vt Graeci scriptores, si quem a Romanis *consecratum* vel inter *diuos* relatum narrare volunt, interdum, suam rationem secuti, *inter heroas relatum esse* dicant *r*), quemadmodum vero consecrationis ille honor cum altero etiam sexu communicatus est: ita quoque *heroinas* suas Graecia habuit, quas *heroidas* etiam vel *heroissas* vocabant. Nymphas, Dianae comites, *heroidas* dixit Callimachus *s*). Aliquot mulierum *heroa*, hoc est, templa, in quibus tamquam heroinae colerentur, occurrunt apud Pausaniam *t*). In ludo Iuliani imperatoris in Caesares M. Aurelio obiicit Silenus, quod Fausti-

q) Inter hos est EVRYPYLVS ille Pergamenus et alii, de quibus SPANHEMIVS *de vsu et praest. l. c. p. 334.* Sic maioris etiam staturae creditos heroas, docet PAVSAN. *Eliac. II. p. 182, 15.* vbi de Polydamante, Μέγιστος δὲ, inquit, ἁπάντων ἐγένετο ἀνθρώπων, πλὴν τῶν ἡρώων καλουμένων κ. τ. λ.

r) Sic DIO *libr. LI. p. 458. A.* de Augusto Iulium Caesarem consecrante ἥρωα αὐτὸν Γάϊον ὀνομάσας. Hinc Antinous ab Hadriano consecratus in nummis Graecis ἥρως est apud SPANH. *diss. XI. p. 329.* vbi etiam sunt reliqua exempla.

s) *Hymn. in Dian.* v. 185. ποίας ἡρωΐδας ἔσχες ἑταίρας. Idem Χαλκιόπης ἡρωΐδος mentionem facit *Hymn. in Del.* 161.

t) Collegit ea SYLBVRGIVS ad *lo. II. s. p. 381. Wech.*

Fauſtinam vxorem conſecraſſet, id enim eſt, quod Graece dicit *heroinis adſcripſiſſe u*).

Vixiſſes, CAROLINA, cum illis tuis virtutibus, inter antiquos iſtos mortales,

Prima locum ſanctas heroidas inter haberes x),

heroinam te in nummis vocari, *heroa* tibi condita, legeremus! Ne quidem opus habent lectores noſtri, vt per ea, quae adhuc commemorata ſunt, retro legamus veſtigia, eaque ad reginam noſtram tranſferamus, cum nemo ſit, quem non ſummae nobilitatis, maximae pietatis, atque in Deum amoris, ſapientiae item, et reliquarum virtutum CAROLINAE, ea admonuerint. Multo magis, quae ſuperſunt heroum elogia, apud recentiores praeſertim Platonicos, ad ipſam tranſferent; quae proinde hic propoſuiſſe ſatis fuerit. Igitur Hierocles *y*) rationem redditurus, cur in Pythagoricorum aureo carmine *illuſtres* dicti ſint heroës, ideo factum eſſe ait, quod boni ſint et perpetua luce praediti, et nec in malo vmquam, nec in obliuione verſentur. Illuſtriora etiam, quae paſſim iis tribuit Iamblichus *z*), altius

u) Ὅτι τοῖς Ἡρωΐναις ἐνέγραψε *p. 29, 29.* nuperae editionis b. LIEBII. Ad hunc locum pertinet *commentatio* ſupra laudata ill. SPANHEMII.

x) OVID. *Triſt. I, 5, 33.*

y) *Pag. 36. Needh.* Ἀγαυοὶ ἥρωες, ὡς ἀγαθοὶ ὄντες καὶ φωτεινοὶ ἀεὶ, καὶ μήτ' ἐν κακίᾳ μήτ' ἐν λήθῃ ποτὲ γενόμενοι.

z) *De myſter. I, 5. p. 8. Gal.* ὑψηλοτέραν τῆς τῶν ψυχῶν τάξεως, τὴν τῶν ἡρώων ἐπιτεταγμένην, δυνάμει

altius animarum vulgarium ordine conſtitutum eſſe ordinem heroum, potentia, virtute, pulcritudine, magnitudine, et quaecumque in animis bona ſunt, excellentem; proximum tamen animabus, quippe qui illis cognatione quadam conformis vitae coniunctus ſit, ſic nimirum, vt corpus ſuum et ipſi heroës animent. Deinde coniungit cum geniis heroas, et vtroſque ait ſempiternos, deorumque comites, qui diuinum, in quo conſtituti ſint, ordinem ſemper retineant, neque vmquam illum deſerant. Porro facultates illis tribuit regendis hominibus aptas, atque circa moderandos animos occupatas. Sic dum doctrinam de heroibus veterum ex ipſorum monimentis vtcumque delineamus, eadem illa ſummatim complexi ſumus, quae vitam CAROLINAE diuae, ſiue quod idem eſt, HEROINAE, reddiderunt vtilem humano generi, memoriam reddiderunt vtilem humano generi, memoriam reddent in perpetuum caram et amabilem bonis omnibus: eadem praeluſimus cultae RANZOVII noſtri de eodem argumento orationi, ad quam audiendam

μει καὶ ἀρετῇ, κἄλλειτε, καὶ μεγέθει, καὶ πᾶσι τοῖς περὶ τὰς ψυχὰς ἀρετῆς (vox ἀρετῆς videtur e gloſſa eſſe:) ἀγαθοῖς ὦσι (leg. vid. ἔσι:) ὑπερέχσαν· προσεχῆ δ' ὅμως αὐτᾶις, συναπτομένην δια την τῆς ζωῆς ὁμοειδᾶς συγγένειαν. Et *I*, 10 *p.* 20. ὅιπερ (δαίμονες καὶ Ἥρωες) ἀΐδιοί τέ εἰσι καὶ συνόπαδοι τῶν θεῶν -- ἐχόμενόί τε ἀεὶ διατελᾶσι τῆς θείας τάξεως, καὶ ἀδέποτε αὐτὴν διαλείπσιν. Sic *II*, 1. *p.* 39. tribuit heroibus δυνάμεις ἡγεμονικὰς τῶν ἀνθρώπων, et *II*, 2. *p.* 40 παρὰ (f. περὶ) τὴν τῶν ψυχῶν διαταξιν ἐπισρεφομένας.

dam in exornatum pro praesenti copia templum academicum, cras hora X. nos comitabimini, illustrissimi Comites, cives reliqui carissimi, vos item hospites, pro loco quisque suo, honoratissimi. Dabitis id quidem vestrae in communem parentem, rectoremque nostrum magnificentissimum, et regnatricem domum, pietati: attamen illum inde fructum referetis, iudicio nostro amplissimum, vt ipsam virtutem ac sapientiam, sub tanto vobis exemplo commendatam, tanto maioris facere, tanto persequi ardentius condiscatis. *Gottingae a. d. 29. Ianuar.* CIↃIↃCCXXXVIII.



XVIII. ELO-

XVIII.

ELOGIVM

DIVAE

CHRISTIANAE CHARLOTTAE

MARGGRAVIAE BRANDENBVRGI

cet.

Conſecrauit nuper matrem diuam ſereniſſimus princeps ac dominus noſter, dominus CAROLVS WILHELMVS FRIDERICVS, Marggrauius Brandenburgi, cet. conſecrauit ſereniſſimam, dum vita manebat, principem ac dominam, dominam CHRISTIANAM CHARLOTTAM, matrimonii iure Marggrauiam Brandenburgi, cet. naſcendi autem ſorte Ducem Wurtembergicam, cet. immaturo heu! fato, licet iam vnum alterumque annum praeuiſo, rebus humanis nuper ereptam. Conſecrauit illam a. d. XII. Ian. apparatu, qui deceret principem, licet minore aliquanto, quam filii datura fuiſſe videtur pietas, niſi ipſa dum viueret interceſſiſſet. Conſecrauit ipſa victuris perpetuo monumentis nominis ſui gloriam. Conſecrabit eam ſempiterna memoria, vt quiſque propius virtutum ipſius atque decorum fuit conſcius. Verum et nos publicam hanc tabellam implere nulla alia re commodius poteri-

poterimus, quam consecranda, quantum in nobis est, in animis eorum, ad quos forte perueniet ista scriptio, immortalis principis memoria, et vitae ipsius rationibus, in quantum eae nobis innotuerunt, breuiter tenuiterque enarrandis. Iam natam esse constat Kirchemii ad Teccam, iis parentibus, a quibus nihil, nihil nisi excellens ad omnem virtutem exspectari poterat, nimirum patre FRIDERICO CAROLO, Duce Wurtembergico, Ducatus illius Administratore, et in Caesareo exercitu summo castrorum praefecto, (quem Generalem Campi Mareschallum nostra appellare aetas solet), matre autem ELEONORA IVLIANA, ex Marggrauiis Brandenburgicis, ALBERTI, quem proauum numerat sereniſſimus CAROLVS WILHELMVS FRIDERICVS noster, filia, anno superioris saeculi LXXXXIIII, die autem XX. Augusti. Erepto illi vix quadrimulae patre, cura tanto maiore ad id mater incubuit, vt cultu, qui illum sexum, aetatulamque illam deceret, quam diligentiſſime impertiretur. Neque contenta fuit aliis illam imposuiſſe prouinciam; sed ipsa e complexu illam sinuque suo non dimittebat, et, quantum eius poterat fieri, assidebat cum suis familiaribus, quoties vel primis litterarum elementis illa imbueretur, (quas quam amauerit, vel inde constabat, quod manum habuit ita elegantem, vt a calligraphorum ornatu parum abesset), vel Christianae religionis initiamenta cupide susciperet, vel morum doctrinam, historiarumque, et, sine qua illae claudicant, illustrium familiarum et locorum notabilium cognitionem bibula aure, et animo bonarum rerum auido, hauriret. Quae res illi non modo ad animi oblectationem postea profuit, cum legendis optimis

mis libris, quorum bonam copiam parauerat, vel audiendis, lusum nullum nec acroama praeferret; sed etiam ad rem felicius imperio gerendam momenti attulit plurimum. Inter haec virtutis rudimenta, et felicem non minus, quam sapientem matris curam, quamuis thalamum vix egressa, latere tamen non potuit, vt non secundus de ipsa rumor peruenirет ad WILHELMVM FRIDERICVM nostrum, principem optime de patria nostra promeritum, et laude inter suos immortali victurum. Hic itaque coniugium circumspiciens, quod cum se beatum redderet, tum ciues suos feliciores, vno comitatus Seckendorfio suo, (in quo iam tum eas inesse res cognouerat, quibus ab eo inde tempore saepe multumque adiuta est res publica, fidem et sapientiam) ad amitam suam inuisit, cumque exspectationem delitescentis quasi intra concham suam margaritae, longe ipso conspectu superari intelligeret, ac diuina CHRISTIANAE CHARLOTTAE virtus, quae sedem illa quidem in pectore ac medullis sibi constituerat, quaedam tamen sui simulacra in emendatissima plenaque pudoris ac maiestatis fronte, in oculis caelestem Venerem modestiae coniunctissimam spirantibus, in facie gratiarum omnium domicilio, in totius corporis, gestusque et habitus admirabili quadam et honoris plena venustate, proposuerat; virtus igitur virginis in formosissimo corpore habitans, cum statim oculos animumque FRIDERICI WILHELMI feriisset; de reliquis autem, quae in matrimoniis talium personarum quaeruntur, vtrimque olim constitisset, celeriter acta transacta sunt omnia, ipsaque nuptialia sacra Stutgarti celebrata a. d. XXVIII. Aug. CIↃIↃCCVIIII. Quibus, si laetitiam

titiam ſpectes, et mutuam virtutis admirationem, diligentiſſimumque coniugi placendi ſtudium, et religioſam, ne quid offenderet, curam, et vota de coniunctione nullo vmquam tempore diſſoluenda, et ſi quid praeterea dulce habet ille dies, ſimile ita fuit totum, quo vna vixere, tempus, vt maiora ſubinde bona inde, quaſi ex fonte inexhauſto, emanauerint. Quae enim ſperabantur nuptiali die, illa vera eſſe, et multo ampliora, conſequens tempus comprobauit: maior facta in ſingulos dies familiaritas, non contemtus illa, ſed admirationis, ſed fiduciae, ſed amoris, mater, cum noua earum rerum argumenta in ſingulos prope dies alter alteri ſubminiſtraret. Hinc ita eorum coaluerant animi, eaque inter illos neceſſitudo orta eſt, vt nec eſſe alterum ſine altero poſſe appareret; adeo fructus cuiuſcumque voluptatis condimentum hoc et ſaporem habere videbatur, ſi vna fruerentur; adeo quidquid moleſtiarum obiectum eſſet, (neque enim nouit principes, qui his carere illos arbitratur), alter in alterius complexu videbatur deponere. Quid igitur putamus? quid voluptatis illis attuliſſe felicis coniugii fructus, exoptatiſſima pignora? Quid CAROLVM WILHELMVM FRIDERICVM? qui tamquam ſignum illud caelo delapſum, et Veſtae cuſtodiae demandatum, datus ipſis, quin nobis eſt a d. XII. Maii CIↃIↃCCXII. quo ſaluo nos ſaluos praeſtet Deus O.M. Quid WILHELMINAM CHARLOTTAM? ipſo natali matris CIↃIↃCCXIII. in lucem editam, matris, quantum iudicari poterat, ſimillimam futuram, niſi illam, nondum anniculam, XII. Iulii dies caelo reddidiſſet. Quid FRIDERICVM CAROLVM? ſed quem et ipſum a. d. XXV. Sept.

XXV. Sept. CIↃIↃCCXV. terris ostensum, atra dies VIII. Februarii CIↃIↃCCXVI. abstulit, et acerbo mersit funere. Sed quantumcumque doloris habuerunt carissimorum pignorum mortes, vix tamen vmbra illa fuit eius moeroris, in quam coniecit illam dies VII. Ian. CIↃIↃCCXXIII. dies tristissima in fastis nostris nota signatus, quo mortalis esse desiit immortalis meritorum et virtutis gloria princeps, WILHELMVS FRIDERICVS, cui ipsa moribundo, et in ipsius complexu caelestem animam reddenti, *fidem* praestitura videbatur, quam *commorientium* celebrant veteres, nisi sanctius illam vitae et fidei institutum retinuisset; qui ipsi vltimo voluntatis suae iudicio ea tribuit, vnde facile intelligeres, quid de ipsius sapientia et virtute, post plurium annorum experimenta, pro acri iudicio suo, suoque in vnicum filium et ciues suos amore, existimaret. Horum ipsi imperium, et illius tutelam testamento demandauit, ita quidem, vt summae omnium rerum ipsa praeesset; de his, quae extra ditionem suam consulenda, agenda essent, consilia communicaret cum contutoribus, quos rogauerat, sereniss. principibus GEORGIO WILHELMO, Culmbacensi, diuo, et ERNESTO LVDOVICO, Darmstadino: caeterum administros rerum et consiliorum, senatumque adeo tutorium haberet eos, qui ad illum diem in consilio intimo prudentiae et fidei suae documenta dederant. Cum ratas habuisset tam sapientis testamenti tabulas imperator augustissimus, post iusta funebria sanctis WILHELMI FRIDERICI sui manibus cum dignitate persoluta, fideique sacramentum a ciuibus praestitum, virili plane animo et constantia heroica suscepit imperium,

atque ita administrauit, vt iudicium mariti sui pariter atque augustissimi imperatoris meruisse illam, facile appareret. Ita ipsa binis per singulas hebdomadas diebus, cum vno de externis rebus ageret, adhibitis, quos diximus, sereniſſimorum contutorum consiliis, altero de ciuium negotiis, cum suo, quem ante laudauimus, senatu cognoscceret, audiuit, quae ad ipsam referebantur, vt, non impatientia quadam, (nihil enim erat ipsa in audiendis legendisue rerum momentis constantius), sed singulari praestantis ingenii acrimonia, occuparet plerumque eos, qui docere illam conabantur, et intellecta sibi rebus ipsis ostenderet, quae vix mediam partem erant exposita. Ita porro rectum et sanum de rebus interposuit iudicium, vt neminem puderet ipsius sententiam sequi, cum prius sapientiam ipsius admirarentur viri sapientes et ipsi, quam sequerentur auctoritatem. Neque fructu labor ille caruit, cum et augustissimo imperatori fidem atque obsequium luculenter probauerit, (cuius rei illustrissimum Comitem Wurmbrandium, legatum imperatorium, anno saeculi XXVII. grauissimum testem habuit, et controuersias cum vicinis plures, easque satis difficiles, composuerit; et impeditiores aerarii pecuniariaeque rei rationes expediuerit; et delectis aliquot de consilio suo viris ad eam rem idoneis iudiciorum ordinem constituerit, diuisis iudicantium decuriis, et scriptis, quas tum ipsi, tum litigatores et patroni sequerentur, legibus. Quae quidem res, virorum laudatissimorum studio perfecta, publicam auctoritatem exspectat atque promulgationem. Quemadmodum igitur huius sui consilii fructum percipiendum aliis reliquit, ipsa tranquillitatem consecuat

secuta sinceram et interminabilem: ita neque vidit, quod optauerat; litterariam vniuersitatem, cuius condendae non consilia tantum agitauerat, non auctoritatem modo ab augustissimo imperatore impetrauerat, (tabulae publicae diem XXV. Iunii CIↃIↃCCXXV. adscriptum habent), sed, quod caput rei est, pecuniam satis magnam, parsimoniae suae et frugalitatis vectigal, reposuit, tamquam dotem filiae adoptiuae, cum ex ipsa natam acerba mors interceperit, primo quoque tempore illi persoluendam. Atque ista quidem, postuma licet, sed mox tamen, quod ominamur, nascitura, et longissimi futura aeui, gloriam suae matris iis, qui omnibus post nos nascentur saeculis, commendabit. Caeterum maius etiam illud CHRISTIANAE CHARLOTTAE opus putamus, quod et sua voce, et magistrorum, quos ipsi curauit, in suo cuiusque genere egregiorum studio, illum nobis educauit principem, quem, vt admirati sunt exteri, ita complectuntur pietate et votis omnibus ciues, seraque cum multa laude commemorabit posteritas. Non ita amabat CAROLVM suum, immo nostrum, mater si qua vmquam piissima, vt molli ipsum indulgentia foueret, neque e sinu suo et complexu dimitteret; sed, quod pater etiam testamento iusserat, iam anno saeculi XXV. ad Belgas misit, vt in gente libera, et ob id ipsum plus aliquanto, quam reliqui Germani, priscae simplicitatis retinente, aequalitatem naturalem hominum obseruaret, et simul, quanta esset vis industriae ac bonarum legum ad felicitatem populis procurandam, videret: seruitutis autem et bellorum, licet non recentium, necdum tamen obliterata vestigia apud Gallos videre illum voluit, quod

iter ingressus est a. d. XII. Aprilis CIↃIↃCCXXVIII; sed non illa modo, verum etiam politos gentis mores, artificum omnis generis ingeniosa opera, aulamque praesertim, quae elegantiarum omnium, si non et magnificentiae, principatum tenere, creditur. Qua in re tanto maiore animo et constantia opus habuit, quod et ipsa, morbo iam tum graui oppressa, opus habere videretur filii praesentia, in cuius iuuentute, humanitate, pietate, conquiesceret; et non poterat non audire voces multorum, qui durum nimis dicerent, Palladium illud, et vnicum quasi publicae salutis pignus, in tot discrimina, inter externas gentes, et sub caelo insueto subeunda, committere. At ista quidem ipsum peregrinationis consilium, ex testamenti paterni tabulis et ipsum susceptum, mutare non potuerunt: reditum acceleraruntexoptatissimi principis, qui vix ab itinere redux sereniſſimam matrem, grauissima cum maxime morbi vi afflictam, recreauerat; cum illa vrget opus, cuius iam CIↃIↃCCXXVII. fundamenta quaedam iacta fuerant. Inuiserat nimirum sereniſſimus princeps noster ad potentissimum Borussorum regem, caput et columen familiae suae, eumque ita sua humanitate et moribus ceperat, vt iam tum generum ab ipso lectum, non plane mendax, sed fatidica potius fama differret. Ita porro et regia mater, et ipsa virgo celsissima probauerant instar et virtutes hospitis, (quod enim dicamus, captum ipsum FRIDERICAE LVDOVICAE incredibili modestia, qua formam et reliqua decora sua commendat, non est necesse, cum ipsa res satis hoc declarauerit), vt facillime conficeretur negotium, appareretque, regem sapientissimum putare, optime collocatam filiam suam, si CAROLO

ROLO WILHELMO FRIDERICO nuberet. Haec dum agit prouida mater, dum vxorem quaerit filio, ſtudet ſimul, quomodo imperii onus, quo imbecille corpus ſuum grauari magis magiſque ſentiret, in eumdem tranſferret; in quo videlicet, quantumuis iuuene, eas res ineſſe obſeruaret, quibus opus eſt ad rem feliciter, et cum ſalute ciuium, ſuaque gloria, gerendam. Cumque non ita delituerit virtus CAROLI WILHELMI FRIDERICI, vt non ad auguſtiſſimum etiam imperatorem fama illius perlata fuerit; impetrata facile aetatis venia, et honorificentiſſimis verbis in tabulas publicas relata eſt. Itaque non exſpectato mater filii reditu, litteras et mandata per Seckendorfium, quem ante laudauimus, Berolinum mittit, ſponſoque felici regendam imperio rem publicam, cum fauſtis ominibus, tradit et commendat, rogans, vt maturato, quantum poſſet, reditu, ſibi, deſiderio non minus fere, quam morbo languenti, et filium redderet, et oſtenderet cum nuru maritum atque principem. Et ſane felix ipſius, et comitatus amabiliſſima coniuge reditus, qui incidit in XXI. Iunii diem, videbatur aliquantum valuiſſe ad recreandam CHRISTIANAM CHARLOTTAM, praeſertim cum ea in celſiſſima nuru ſua videret, quae maximam ſpem futurae filii, et per hunc rei publicae felicitatis, faceret. Vix horam vna fuerant, cum vim illam virtutis, qua ſuos amatores congregare atque conciliare ſolet, non ſine maxima voluptate contemplari hic etiam liceret. Diceres, olim vna fuiſſe, nec recentiſſima affinitate iunctas; ſed natam ex ſocru nurum. Itaque vix ſolam videres alterutram, ſiue in vrbe eſſent, ſiue ruri agerent. Quin cum decumbere febri contingeret FRIDERICAM LVDOVICAM, et ipſum fere-

nissimum eius maritum, quae vix aegrum corpus traheret, pientissima mater, a lectulis eorum non discedebat, cum fomentis adhibendis, fallendis iucundo sermone illorum molestiis, suorum ipsius dolorum auocamenta inuenire sibi videretur. Sed tempus est ad vltimum vitae ipsius actum nos accedere. Vegetum ante ipsius corpus, quod vel species illa indicabat, quam vix vlla picturae vis assequeretur, moeror ex morte diui coniugis, tum curae imperii debilitauerant, et malum corporis habitum (cachexiam vno nomine appellant medicorum filii) induxerant: cui cum e thermis Carolinis remedium petetur, aucto inde morbo rediit, isque praestantissimorum tum apud nos, tum exterorum etiam medicorum respuit auxilia; atque in oppressiones pectoris, febrimque lentam, quam hecticoden vocant, erupit. Cumque sanguinis eruptiones accederent frequentes et copiosae, quae solidarum partium vitium indicarent, easque magis destruerent; spe salutis, quae hac vita continetur, deposita, tanto magis animum ad eam aduertit, cuius cum gustum et primitias olim habuisset, tanto se illi propiorem fieri intelligebat, quo magis mortalis vitae vinculis exueretur. Qua in re vsu illi veniebat, quod ne tum quidem, cum integris esset florente in corpore atque aetate viribus, ita deliciis, quibus affluere poterat, aut curis, quae obiectae illi sunt, deprimi caelestem animum passa est, vt non semper maximam voluptatem a Deo peteret, summamque et antiquissimam aeternae beatitatis curam haberet. Quod tum aliis rebus intellectum est, tum illa pauperum orborum ac viduarum cura, qui sanctissimae principis liberalitate, dum Onoldum erit, fruentur.

Ita

Ita multas porro insomnes per incredibilem dolorem noctes transegerat; ita saepe in portis quasi aeternitatis constituta fuerat; ita longam denique meditandae, quin experiundae quasi mortis occasionem habuerat, vt nemo dubitare possit, quin seria fuerit illius de contemtu, immo desiderio mortis, de exspectatione futurae felicitatis, oratio. Inter haec, praeualente tandem vi morbi, exhaustis, quae tenues supererant, per vomitus crebros, et praecordiorum ardorem, inflammatorum viscerum testes, viribus, ipso die, quem natalem Seruatoris nostri celebrat ecclesia, hora circiter octaua matutina, spiritum immortalem Deo reddidit, cum pridie illius diei CAROLVM suum, ipsiusque celsissimam coniugem, inter vltimos amplexus iis verbis Deo, ipsis autem religionem et virtutem commendasset, quae numquam, speramus, vel ipsi Deo, vel sereniſſimis principibus excident, fructusque ferent tum nobis, tum posteris nostris, exoptatissimos. Salue CHRISTIANA CHARLOTTA, diua, ac felici apud superos immortalitate fruere, inter homines autem gloria numquam intermoritura.

Onoldi a. d. XVI. Februar.

clo loccxxx.

* *

XVIIII.

PROLVSIO

AD

ORATIONEM

DE

PRINCIPE IVVENE

MAGNO REI PVBLICAE BONO.

Fieri vulgo videmus, si quis ignotus ante nouo muneri admoueatur, vt cupiditatem quamdam ostendant homines videndi illius, audiendi, ac de illo pro cuiusque ingenio existimandi. Quod enim de parte quadam huius curiositatis praeclare, vt omnia, HORATIVS,

- - vt quisque nigris medium impediit crus
Pellibus, ac latum demisit pectore clauum,
Audit continuo: Quis homo hic? aut quo patre natus?
Vt si qui aegrotet, quo morbo Barrus, haberi
Vt cupiat formosus; eat quacumque, puellis
Iniiciat curam quaerendi singula; quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo? cet.

illud ad vniuersum trahi genus posse videtur, cum ita in curiositate homines sint ὀξύτεινοι, vt, quae de Barris requirunt puellae, ea, et si qua his minora,

nora, saepe viri etiam de aliis quibuscunque scire laborent. Hinc videmus, vt hoc potissimum vtar, maiores solito concursus fieri, si quem in suggestum proditurum concionandi caussa constet, incognitum ante populo, et nouo munere auctum: et qui in academia vixere aliquamdiu, non ignorant, quam referta esse consueuerint eorum, qui primas recitationes habent, subsellia. Ea ipsa ratio metum quemdam et sollicitudinem iniicere solet his, qui primum quasi gustum sui dare iubentur, vt timidius aliquanto ad rem gerendam accedant, et, quamquam non plane veniant imparati, vehementius tamen quam alias commoueantur. Maior etiam cura illos incessat necesse est, si qui in patria, apud pueritiae suae, et, quos illa habet, errorum conscios, ac ea ipsa de caussa non semper satis aequos iudices, post exspectationem praeterea non nullam, quae inuidiam habere comitem solet, specimen dare sui, et iudicia hominum subire debeant. Quatenus vel quidquam horum, vel omnia, ad me pertineant, explicare nihil attinet, cum neque vitiosae curiositatis postulare optimos ciues meos, quibus postliminio quasi me reddidit gubernans omnia prouidentia, lubeat; et quae per lubricum aetatis a me peccata, verum, quod certe scio, condonata etiam per Christum sunt, ea potius aeterna tegi nocte, quam eorum ipse admonere homines, velim; de exspectatione autem nostri plane meum non sit dicere. Illud quidem non dissimulo, me siue aliqua earum, quas commemoraui, caussa commotum, siue naturali timore meo retardatum, siue quod non magno opere vsurpatam a praestantissimis viris, qui ante me gymnasio huic praefuere, con-

consuetudinem istam, accepissem, aliquanto cunctantius, vt in publico dicerem, animum induxisse. Ac forte ad hunc diem incertus animo fluctuarem, vel an omnino dicerem? vel certe qua de re agerem? nisi dubitationem mihi omnem abstulisset magnum felicitatis ac laetitiae publicae argumentum, de quo taceri in bonarum artium, dicendi praesertim, officina, nefas erat; dicere autem illum decebat praeter caeteros, qui in ea nuper statione collocatus esset, in qua non exempla modo dicendi, aeque ac praecepta suis deberet, sed vix posset oblatam sibi pietatis declarandae occasionem ad alium quemquam demittere. Ecquod enim tempus exspectarem opportunius, qua ego, rector iuuentuti nostrae datus ad eam rem, vt, quantum possim, bene illam dicere pariter ac facere doceam, auspicari eam prouinciam, et sollemni quasi caerimonia adstringere fidem meam possem, quam illud ipsum, quo tota respublica sacramentum dicit principi, qui non natus solum ad maximam spem et educatus est, verum ea iam virtutis ac sapientiae documenta dedit, quae animos ciuium, etiamsi abessent illi pomparum apparatus, quos priuatim pariter ac publice fieri per hosce dies vidimus, vinculis admirationis atque amoris ipsi obligarent. Ita enim profecto se instituit

SERENISSIMVS PRINCEPS AC DOMINVS

DOMINVS

CAROLVS WILHELMVS FRIDERICVS,

MARCHIO BRANDENBVRGICVS, DVX PRVSSIAE cet.

vt demus ipsi, quotquot bona ipsius, hoc est, nostra, non ignoramus, fidem obsequii, non quia oportet

tet his parentibus nato; aut quia cogi possumus, ab eo praesertim, qui tantum socerum habeat: sed quia, si diuinitus data nobis optio esset, et plenum ius principis eligendi, non inueniremus, cui maiori fiducia euentuque feliciore, nos nostraque omnia tradere in fidem et clientelam possemus. Tui fuimus,

CAROLE WILHELME FRIDERICE,

admiratione, votis, obsequio, fide, ante aliquanto quam regnandi ius tua tibi aetas, et augustissimi nutus imperatoris tribuerent; tui eramus futuri, si quaecumque caussa publici religionem sacramenti intercepisset; tui erimus, dum aliquid erimus, voluntate, amore, studio, quae sicut augeri vix videntur posse, ita nulla res imminuet. In quo igitur argumento minus deesse mihi oratio poterit? aut in quo magis explicare hanc, quantulacumque in me est, dicendi facultatem licebit? in quo minus de oratore cogitabunt auditores, pleni tam augusta imagine, quam vix totam tamen capient? in quo conatus ipse plus laudis habet? in quo facilius vel fugient attentionem hominum peccata, vel veniam consequentur paratiorem? in quo denique naturalem oratoris timiditatem longo multorum annorum silentio auctam, ipsa rerum iucunditas facilius expugnabit? Stat igitur sententia, non dimittere hanc occasionem primum prodeundi in publicam litteratissimae vrbis lucem. Et ita quidem, Deo bene iuuante, prodibo, vt materiam dicendi sumam ab argumento, quod dixi, laetissimo non alienam. Agetur enim

de principe iuuene, magno rei publicae bono.

Qua in re ita versabimur, vt non confugiamus ad rhetorum artes, aut ex dialecticorum lecythis pigmen-

gmenta petamus cauſſae, quae ſuis ſe argumentis facile ſuſtinet, ex ipſa rerum, de quibus agitur, natura petitis, et exemplo haud vno, non ita magno labore, confirmandis. Maximum autem aliquando exemplum, ſi quis de noſtris nepotibus eamdem tractare materiam voluerit, (nec enim aſpernabitur vota noſtra Deus) tu ſuppeditabis,

CAROLE WILHELME FRIDERICE,

cuius tum trium ſaeculorum ſenis imperium, a prima inde aetate per longiſſimam annorum ſeriem eodem prudentiae beneuolentiae nuctae, ac felicitatis tenore actum illi non voce tantum ſua inter vivos commendabunt, ſed victuris etiam perpetuo aeuo chartis tradent, vt quas nunc, pro tua modeſtia et magno animo, aſpernaris laudes, eas tibi cumulatiſſime reddat quantacumque futura eſt poſteritas. Vos, quibus haec nunc traditur tabella, viri, quorum titulos vix haec ſcriptiuncula capit, generis, munerum, meritorum, litterarum etiam nomine ſuſpiciendi, venerabiles, amandi, fauete dicturo, niſi aliter ſuperis viſum fuerit,

ipſis Kalendis Auguſti, hora octaua matutina, in curia prouinciali,

et quorum hoc rationes ferunt, praeſentia etiam veſtra perquam nobis honorifica, demonſtrate, non ita abiecte apud nos ſentiri de manſuetioribus muſis, vt non ſummi etiam viri partem aliquam temporis impendere illis, vbi praeſertim de honore *optimi principis* agatur, ſoleant. *P. P. prid. Kal. Aug. A. R. G.*

CIↃ IↃCCXXVIIII.

XX.

* *

XX.

ORATIO

DE

PRINCIPE IVVENE

MAGNO REI PVBLICAE BONO.

ILLVSTRISSIMI DOMINI,

AVDITORES SVIS QVIQVE TITVLIS ATQVE DECORIBVS ORNATISSIMI, HONORATISSIMI.

Quae per hoſce dies laetiſſima ſpectacula oculos noſtros occuparunt, quaeque audiendo percepimus, AA. eorum imago menti adhuc obuerſatur. Sacramentum dixit haec ciuitas ſereniſſimo principi ac domino, domino CAROLO WILHELMO FRIDERICO, Marchioni Brandenburgi, Duci Pruſſiae, Magdeburgi, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vinidorum, Mecklenburgi, Sileſiae item atque Croſnae; Burggrauio Norimbergae, Principi Halberſtadii, Mindae, Camini, Vinidorum, Suerini atque Ratzeburgi; Comiti Hohenzollerae et Suerini; Domino ditionis Roſtochienſis et Stargardienſis, cet. principi ac domino noſtro indulgentiſſimo. Peracta eſt caerimonia eo apparatu hiſque ſollemnibus, quae et maieſtatem tanti principis

cipis decerent, et cupiditatem declararent singulorum, laetitiae suae bonaeque spei in conspectum ac lucem producendae; et ostenderent, non deesse apud nos, qui vel apte excogitare possint laetitiae publicae argumenta, vel sollerter ea perficere. Vidimus suggestum columnatum extemporaneo quidem opere, sed oppido eleganti, abiegnis frondibus laete vestitum, exornatum aulaeis, suspensis encarpis, et impositis vrnis, Medicas arbusculas habentibus, perquam decorum. Vidimus thensarum pompam et pilentorum sane magnificam. Vesperam vidimus die prope ipso clariorem, cum inter se certamen quoddam iniuisse homines viderentur, quis vel picturis elegantioribus, vel inscriptionibus cum argutia quadam et subtilitate magis piis, alios vinceret. Spectauimus igitur columnas, pyramidas, arcus triumphales, et portas; spectauimus sub ipsis aquis fulgentia lumina, diuersaque lampadum genera vel puram spargentia lucem, vel colore quodam temperatam. Imagines contemplati sumus vel pictas, vel cera expressas, principum, et nomina eorum descripta stellis; aedificia obseruauimus prope vniuersa, publica et priuata, quin ipsa quoque Dei immortalis templa, pro cuiusque ingenio, vel opibus, vel studiis, ita collustrata, vt facile appareret, ingentis cuiusdam gaudii luce perfusam ciuitatem, cuius tam expressam exstare imaginem vellet. Nec aberat laetitiae Bacchus dator, qui iis sua quasi sponte se liberaliterque ingerebat, qui voluptatem nisi ventre conceptam non intelligunt. Successit nocti ita illustri proxima, terribili quadam pulcritudine insignis. Adduxissetis hic barbarum aliquem rerum nostrarum imperitum, aut ab inferis excitasse-

tasſetis de maioribus noſtris vnum, qui ante hos quadringentos circiter annos vixere. Quid putatis A. A. illum dicturum fuiſſe, cum tantam vim ignium ſubito fulgore emicantium, cum ſibilante ſtrepitu alta petentium, et in ipſas quaſi nubes ſe condentium; vel cum fragore ſimplici, eoque grauiſſimo, clariſſimoue, vel multiplicato crepitu diſſilientium, et auribus et oculis perciperet. Nonne ille primum ſibi dehiſcere terram putaſſet, ac vel finem rerum omnium, vel vicini certe agri euerſionem inſtare? non inuerſam naturam clamaſſet, ac deorſum labi ſolita fulmina nunc humo emiſſa ipſum caelum petere? Rurſum animaduerſa illa deſcriptione atque ordine, quo ſingula fierent, ſpecie illa ignium vno primum flumine aſcendentium, deinde inſtar mergitis frumentorum, aut florum faſcis, incuruo ſe motu explicantium, vel quod iucundiſſimum ſpectaculum eſt, globi ignei cum fragore diſſilientis et magnam ſtellarum lucidiſſimarum copiam foecundo quaſi vtero, partu ſubito effundentis, rotarum perniciſiſſimo motu circumactarum, ſed quibus Ixion nullus torqueretur, igniuomorum draconum volantium, formis porro litterarum aliarumque rerum variis, ex ipſa flamma effictis; his igitur omnibus animaduerſis, obſeruatoque, innoxio omnia fragore, et ob id ipſum non iam terribili, ignibuſque ſubito euaneſcentibus abſolui, Deum aliquem ludos ſibi facere homines cogitaret, et parentis inſtar larua filium terrentis, iocari. Salmoneo illi poetarum fabulis celebrato ſi talis igniarii ludicri artifex contigiſſet, non ille profecto pontes ſibi aeneos aedificaſſet, quibus ferreo inuectus curru faces in ſubiecta loca iactaret: ſed maioribus veriſque terroribus, fulminum imitationem longe probabiliorem habentibus, homines exagitaſſet. Poëtam nobis de

veteribus vnum huic spectaculo adposuissetis, quos ille nobis giganteos conatus, solio deturbare Iouem conantium, et fulmina fulminibus ipsius contraria mitentium, quos Typhoëas ignem vomentes, quos Encelados fiinxisset? Inter haec spectacula autem nihil fuit, quod magis oculos vel nostros, vel nostrorum hospitum, qui bene multi fuerunt, alliceret, ac detineret, ipso sereniſſimo principe, ipsiusque coniuge celsissima, et, quoties in publicum ea prodiit, matre non ipsius magis, quam per ipsum populi. Non tam ornati videbantur sereniſſimi principes longa illa et splendida, qua comitati incedebant, virorum mulierumque nobiliſſimarum, pompa, qua tamen nihil, credo, vmquam vrbs haec vidit splendidius, quam singulare toti comitatui ornamentum adferre, et gemmae fulgentiſſimae esse, in corona speciosiſſima. Caeterum in publica illa laetitia, vt prope caecae fuerunt gymnasii aedes, iis de cauſſis, quas commemorari hic nihil attinet: ita elingue illud esse, non decet. Qui autem potius dicendi sibi partes posceret quam ego, non erat, qui praeterea orationem moribus eorum, a quibus huc profectus sum, quorumque vel ipsius gymnasiii cauſſa non plane negligere mihi licet iudicia, deberem. Quae cum ita sint, ad dicendum proceſſi A A. non aliqua mea fretus in dicendo facultate, quae et per se admodum mediocris est, et naturali timiditate impeditur, et in puluere ludi mei deliteſcere solita, XII. amplius annis in luce hominum versata non est: sed tum cauſſa, quae ad dicendum me impulit, tum vestra, de qua certus sum, indulgentia, atque humanitate. Dicam autem

de principe iuuene magno reipublicae bono.

Vos A A. timide exiliterque dicentem, eo sola breuitate placere vobis sperantem, propitio fauore vestro vt prosequamini precibus omnibus obtestor, et illud inpri-

inprimis peto, vt cogitetis, me temporis pariter et memoriae anguſtiis excluſum, non quae in chartam conieci, ea hic promere, ſed rem vtcumque praeuiſam verba ſecutura ſperare. Cum vero de ſingulis iam quidem ire in conſilium non liceat, tanto facilius me veniam conſecuturum arbitror, ſi quae limata minus, et indigna auribus tantae panegyris videbuntur.

Quantum igitur in iuuene principe bonum inſit, ita commodiſſime declaraturus mihi videor, ſi oſtendam, ſummo exſpectari iure ab illo poſſe prudentiam, amorem apud ſuos, atque felicitatem. Ac de eo quidem neminem eſſe arbitror qui dubitet, in quo iſta inueniantur, eum non ipſum modo beatum eſſe principem, quatenus illa vox de viuis vſurpari hominibus poteſt, verum ciues etiam ſuos tales reddere. Sed hoc mirabitur forte aliquis, inter iuuenilis imperii decora, et primo quidem loco a me referri prudentiam, quae ita vulgo maturiori aetati ſolet adiudicari, demta iuniori-bus, vt nihil dicere videatur, ſi quis dicere contra audeat. Quare tanto nobis diligentius in hac parte orationis verſandum. Quid igitur? adeone perfrictae frontis ſumus, vt maiorem ineuntis, quam iuſtae et maturae aetatis viris, prudentiam tribuere audeamus? Quin relinquimus ſuas aetati cuique praerogatiuas, ſua munera. Aſſignentur ex veteri verſiculo, iuuenum vigori res manu ſtrenue gerendae, conſilia audiantur virorum, ſeneſque vacent precibus. Verum illud quoque meminerimus, de principe agi; qui quantumuis aetate prouectus, quantumuis vſu rerum edoctus, ſuis tamen omnia obire oculis et auribus, ſuo omnia ingenio peruidere, ſuo iudicio decidere, non poteſt: et ob id ipſum in concilio habet viros ingenio, eruditione, conſilio, rerum vſu praeſtantes, quorum verbis habere fidem, quorum ſtare iudicio, quorum de ſententia pro-

nunciare ipse possit. Horum annis, horum prudentia, subnixa principis iuuentus, (quam praeterea non stupidam, non peruersam, non ineruditam intelligimus; sed dignam principis fastigio, h. e. ingenuam, ad virtutem et sapientiam liberaliter institutam, quae proinde mortuis etiam consiliariis bene vti possit, verbo, CAROLI WILHELMI FRIDERICI nostri quam simillimam,) his ergo rebus subnixa principis iuuentus, longa illa atque indocili sui vsus et propriae experientiae disciplina facile carebit. Quod si enim Lucullus, iuuenis et ipse, cum aliam nullam reip. partem ante attigisset, ope magni ingenii, atque industriae, praesertim in legendis Graecorum historiis positae, perfecit, vt cum nauem escendisset imperator quidem populi Rom. designatus, sed rei militaris ad eum diem rudis, in Asiam factus imperator excellentissimus descenderet: quid ni fieri posse dicamus, vt princeps alius, in annis quidem non ita multis, sed ingenio praestanti, et excellenti doctrina, amicis praeterea cinctus reip. regendae peritissimis, prudenter ciuitatem gubernet? Tanto illud profecto facilius arbitror, quod quo quis generosior est, eo Roboami illius est dissimilior; et oblectandi quidem animi caussa coetus aequalium obit, caeterum in disputationibus de re publica, vt ille alter liberator populi Romani, Brutus, vt C. Octauius, magnorum exercituum, cum nondum viginti annos natus esset, dux felicissimus, assidere senibus amat, vt Tullio illi atque Pomponio, eorumque bibula, quod ait ille, aure prudentiam haurit, in suosque eam loculos areolasque transfert. Ad talem frustra, nec sine iniuria grauissima trahas illud diuinae comminationis fulmen, vae populo, cuius infans rex est! Quis enim ita omnium rerum ignarus et imprudens est, quin intelligat, non simpliciter aetatis illud nomen esse, sed stuporis et petulantiae

vel

vel in centenariis senibus opprobrium. Nisi male factum genti suae voluit Deus, cum Ioasum illum septennem regem ei dedit, aut octo annorum Iosiam, cuius vtriusque iuuentutem gratiorem Deo, et reip. vtiliorem fuisse constat, quam aetatem aliorum virilem. Aliter etiam de iuuentute existimauit sapiens Arabum regina, quae amoris in genten suam Dei signum interpretatur Salomonem iuuenem in paterno solio collocatum. Admonet nos regum sapientissimus, vt in quonam insit iuuenis principis prudentia? paullo explicare distinctius lubeat. Primo collocare loco non dubitamus capitalem sapientiam, quae vt in Salomone, ita haud dubie in aliis quoque principibus fundamentum est reliquae omnis prudentiae, pietatem et immortalis Dei religionem. Quis enim, nisi Cyclopum Centaurorumque progenies, negare audet reges in ipsos imperium Dei cuncta supercilio mouentis? Quis porro non illud vel potissimum prudentiae praeceptum agnoscit, vt eos habere placatos et propitios studeamus, sine quorum ope atque auxiliis ea, quae summa putamus, minime licet consequi? Haec vero prudentia, supremum sibi rerum arbitrum conciliandi, quin cadat in principes admodum iuuenes, neque ratio, neque exempla dubitare nos sinunt. Immo facilius longe esse, vt iuuenis saeculi corruptionibus et voluptatum gurgiti nondum ita profunde, ac sunt plerumque atate prouectiores, immersus, tota se mente ad vitae suae rerumque omnium auctorem connertat, quam illi, quos longa peccandi consuetudo, et robustiora vitia, aeneis quasi catenis deligatos tenent, ita certum est, vt mihi, post aliquem huius rei vsum, vix alio argumento cohortari ad virtutem potentius teneram aetatem visus sim. Atque loquimur, AA. non de quocumque adolescente sibi malisque suis

ſtudiis ac moribus relicto, aut prauorum ſodalium irretito conſortiis; ſed de principe, cuius iam pueritia ſub optimis educatoribus, magiſtris, et comitibus diligenter cuſtodita et circumſepta eſt, vt difficilius prope illi peccare ſit, quam innocentiam atque integritatem tueri. Quae cum ita ſint, illud, credo, nobis concedetur, cadere in iuuenem principem ſummam illam ac diuinam, quae in pietate ineſt, prudentiam, et ita cadere, vt potiori iure ab eo ſperari queat, qui cum ipſa pubertate ac libertate ſuo arbitratu viuendi, imperium ſuſcipiat, coniugiumque ſe dignum ineat, quam ſiquis a magiſtri metu liber priuatam tamen interim vitam agat; et pro viris grauibus, quibuſcum reip. curas princeps diuidere ſolet, ſodales habeat non nimis prouide plerumque adſumtos; cumque ſerium, quod agat, nihil fere ſit, per otium ac voluptates tempus tranſigat. Si enim inter ipſas imperii curas obrepſit voluptas his etiam, qui probabilem Dei hominumque iudicio iuuentutem exegere; ſi Dauidem eiuſque filium euertit illa ſapientiae et virtutum peſtis; ſi poſt Neronis quinquennium horribilis animi illius et morum ſecuta conuerſio eſt: quid tum futurum putabimus, vbi praeter impunitatem, quae pariter fere propoſita tum ipſis regibus, tum regum filiis eſt, inſuper otium et latebrae, res longe vtraque non regnanti facilior paratiorque, ſollicitant. Immo quid factum ſit? olim aliis in locis, vbi poſt priuata illa et latentia ſcelera ad imperandum prodibatur, animus meminiſſe horret, ac dicere linguâ refugit. Primum prudentiae munus, pietatem, cadere in principem iuuenem, vidimus. Quid illud alterum, quod ſalutem ſuam a publica ſalute non ſeiungit, vera illa et incorrupta prudentia? Magno animo et excelſo ad eam rem opus eſſe apparet, et commodorum ſuorum, vbi ea reip. aduerſari videntur, contemtore.

Qua-

Qualem scilicet facilius fere in iuuenum aetate principum reperiri, quam in aliis, apud illos exploratum certumque habetur, qui de singularum aetatum moribus atque studiis vel ipsi pro se diligenter quaesiuere, vel praeceperunt etiam aliis. Itaque iuuenes fuerunt Mucius Scaeuola, Curtius ille, et alii contemta sua salute patriam seruare ausi. Dicerem hic de magna illa et dignissima fastigio ipsius voce, quam in ore habere, ac veluti tesseram aliquam vsurpare coepit haud ita pridem sereniſſimus princeps noster, *salus publica salus mea*: nisi ea ita insignis esset, vt obiter commemorari non debeat, sed iusta oratione explicari. Hic illud tantum dicam A A. quantus animus, quam excelsus, quam publicae salutis appetens in iuuene etiam principe habitare possit, hinc intelligi. Prudentiae vero hanc laudem esse, in publica salute vti suam collocet princeps, et, si pugnare videatur vtraque, vt publicam praeferat, non ita difficile aut necessarium, quam longum demonstratu fuerit. Adiungamus vnam imperatoriae prudentiae laudem, quae tanta est, vt vel sola omnem regnandi artem videatur continere; nimirum vt idoneis rerum administris vtatur. In hac parte maxime forte laborare oratio nostra videatur his, qui norunt, quantae sit artis opus, et consummatae fere prudentiae, dignoscere ab amico adulatorem; videre, sibine consulat aliquis, an rei publicae? In hoc ipso spectari, obiicietur nobis, senum prudentiam, quod experiundo docti, et vsu longo callidi, plus hic videant, quam incauta iuuentus, et hoc ipso veteratorum fraudibus magis opportuna, quod simplex ipsa et sincera, qualem se esse nouit, tales etiam alios esse facile credit. Probabilis oratio, cui plane concederem, nisi idem non comicos modo senes a seruis iuuenibus auro emunctos, sed viros etiam principes varie circumuentos a longe iunio-

ribus, constaret. Neque illud nunc dicam, quod tamen est verissimum, inter fortunae, hoc est ipsius diuinae prouidentiae, consilia hominum non exspectantis, munera, referendos esse amicos principum bonos, et consiliorum idoneos administros, quae pio principi, Deoque caro, cur non aeque facile contingant, quam cuicumque alii, nulla caussa est. Sed hoc tantum commemorabo, saluis tamen diuinae gubernationis consiliis a cognitione nostra remotioribus, esse quamdam videri in hominibus virtutem, quam occultam, hic quidem, dicere, bona cum venia physicorum, malo, quam in rationem illius penitius copiosiusque cum molestia aliqua grauissimi huius consessus, inquirere. Virtutem igitur occultam, sed non sane dubiam, obseruari aio, secundum quam, qui similes moribus sunt, facilius norunt se inuicem, et congregantur; quod quidem vsque eo longa experientia comprobauit, vt variis variarum gentium prouerbiis significetur. Ponamus igitur principem Dei reuerentem, salutis patriae cupidum, eamque ipsam ob caussam haec eadem spectantem in deligendis consiliorum suorum administris. Quidni ille (abscondita Dei consilia semper excipio) et cognoscet et nanciscetur sui similes? Quidni etiam hanc ob caussam facilius nanciscetur? quod malle debent viri boni, et patriae amantes, adesse principi, quem sciant, vel ipsius aetatis beneficio a praeiudicatis opinionibus, quae crescere cum annis et inolescere solent, magis vacuum, et puro vasi similiorem, quod facilius accipiat humorem infusum, seruetque fidelius; quem a pertinacia, et rigida nimis in consilio vel bene, vel perperam capto perseuerantia, norint esse remotiorem. Quae quidem et ipsae iam prudentiae partes sunt, non minus quam illud, quod longius absunt ab auaritia iuuenum mores, quae vt aliis bonis rebus omnibus, ita capien-

capiendis praecipue de rep. consiliis est inimicissima. Quantum vero illud ad prudentiam momentum habet, quod νεοπλουτίας vitio, vt rotundo ore Graeci vocant, carere solent, qui in iuuenili aetate principatum suscipiunt. Quibus moribus esse consueuerint, qui subito vel imperia magna, vel opes sunt consecuti, et Theophrastus ille morum notator egregius, et veteres comici pariter ac recentiores, vt ille, qui in hoc praesertim genere admirabilis est, Molierius, adeo descripserunt lepide, vt nihil dici videatur potuisse venustius; sed ita etiam, vt intelligatur, quae huic hominum generi tribuuntur, ea a prudentiae rationibus vehementer abhorrere. Nisi fallor, ad hoc genus referri possunt fere, quae in Galba sua aetas desiderauit, qui senex imperare coepit, omnium, quod vulgo dicitur, iudicio dignus qui imperaret, nisi imperasset. Verum eo principe quid potest esse importunius, qui cum frena diu momordit, et imperare optauit, ne ius audire vel facere cogi posset, tandem custode vel sepulto vel relicto, et suus esse gaudet, et alios in potestate habere. Sed alienis vitiis inhaerere quid attinet? Nos hoc tantum volumus, iis, quae insuetos imperandi comitari solent, minime omnium vrgeri natos in purpura, et mature admotos imperio, principes; adeo neque se iactare solent impotentius, neque veteres vlcisci iniurias, neque vsurpandi imperii libidine quidquam admittere prudentiae rationibus aduersum. Difficilior quae fuit, parte orationis nostrae defunctus, planiora mihi, quae supersunt, videor prospicere. Post prudentiam, quam ab iuuene etiam principe exspectari posse, satis, credo, ostendimus, amor est apud suos, qui felicem reddit remp. Principem suis carum magnum esse reip. bonum, si ostendere coner, AA. non minus me ineptum iudicetis merito, quam illum, si quis multis ver-

bis persuasum vobis eat, salutare esse familiae, si pater ab ea ametur, aut scholam illam felicem, in qua praeceptorem diligant discipuli. Sed nec multum in eo sudandum est, vt intelligatur, quam soleat in amore ciuium praeire alios princeps in flore aetatis constitutus. Est profecto in iuuentute ipsa amabile quiddam, et philtrum quasi naturale, quod allicit alios, et in amorem rapit, vnde fit, vt quoties personas fingunt poëtae et pictores, quas amore dignas volunt intelligi, iuuenes faciant. Licet autem considerare singulatim, in quo sit illa amabilitas iuueni principi propria. Non erraueri-mus, si ipsam primum formam partes sibi suas hic vindicare dicamus. Aeque enim naturale est amare formosos, ac delectari domo eleganter aedificata, aut horto varietate ac descriptione egregia, aut pictura insigni, et quaecumque in hoc genere vel specie, vel iucunditate alia praestant: nisi forte nuper aliquis nostrum fuit, cuius oculis graue esset lampadum illud facumque, de quo ante commemorauimus, spectaculum. Quin hoc ita naturale est, vt etiam bruta animalia iudicium quoddam formae habere, et sequi pulcritudinem, appareat. In hominibus autem antiquissimum hoc fuit, vt in regibus eligendis formam spectarent. De Saulo nihil dicamus ac Dauide, ne temporis illius et populi ruditas nobis obuertatur. Romae, ea aetate, vbi sibi videbatur cultissima, Neroni, detestabili vltimis annis tyranno, Galba successerat, recti vir exemempli et virtutis spectatae. Sed Tacito iudice, quo nemo homines nouerat melius, *ipsa aetas Galbae irrisui et fastidio erat assuetis iuuentae Neronis*, et imperatores *forma ac decore corporis*, (*vt mos est vulgi*) *comparantibus*. Quantam vim esse dicemus praestantis iuuenili in corpore formae, si, vt Galbae praeferretur Nero, potuit efficere. Quid si formae et annorum decus incidat

cidat non in Neronem aliquem, qualis vltimis annis fuit, sed in eum, qui introrsum non minus pulcer sit; nonne gratior erit, quod est in vulgari versiculo, pulcro veniens e corpore virtus? Noui ego A A. respuere fere sereniſſimum principem laudes a corporis forma, quam excellentem nactus est, petitas, qua in re neque ab exemplis venustorum ab omni aeuo hominum, neque a ratione destituitur. Nouit nimirum alia bona, haud paullo solidiora, dignioraque quae studio omni confectetur. Sed illud tamen, cum res ita fert, dissimulare non possum, cum nudius quintus fortuna me modo ad hunc, modo ad alium appuliſſet hominum globum, fauentium vniuersorum iuueni caelitus demisso, et iam sacramentum exigenti a volentibus; passim a me exauditas voces, mulierum quidem maxime, sed etiam virorum, pulcritudinem ipsius non laudantium modo, sed cum hac ipsa commemoratione ita arcte vota et omina bona copulantium, vt facile appareret vel leuiter attendenti, formae decus amorem conciliasse, in vota erupisse amorem. Quid de venustate illa dicam, quam ipsa gignit non curiosa nimis neque circumspecta iuuenum summo loco natorum sui obseruatio, quam negligentiam vocarem, si in laude poni hoc nomen posset, quae facit, vt quidquid agant, furtiuus quidam et tacitus decor consequens vestigia illorum omnia componat: quam gratiam iuuentutis nimia interdum virorum cura, et decor vndique conquisitus, et custodita sollicite grauitas, corrumpit. Quid si accedat, quae et ipsa iuuenibus facilior est, et melius procedit, virtus illa, quam Graeci eleganter dicunt φιλοφροσύνην, comitas quaedam, et facilis, nihilque affectatum adscitumue habens, humanitas, beneuolentiam ipso vultu et gestibus, sine adulatione tamen, demonstrans; in qua illud in primis gratiam habet, quod iuuenilis aetas, non

ita

ita rerum omnium prouidens, quippe non ita saepe decepta, effusius aliquanto complectitur alios, et minus quasi suspenso gradu, sed cum fiducia quadam, ea, quae ad beneuolentiam significandam pertinent, peragit, eaque re illud consequitur, vt vicissim homines maiori fiducia ad illam accedant, amentque illam vehementius. Possem ego A A. hic etiam commemorare, quid nudius quintus obseruauerim: sed malo properare ad aliam iuuenum virtutem, conciliatricem, si qua alia est, amoris et beneuolentiae. Ea est liberalitas, tanto facilior iuuentuti virtus, quo magis illa propter sui fiduciam, et bonam de futuro spem, opum contemtrix esse solet, et remouere se ab illo senum vitio, quo minus vitae supereſt, tanto plus viatici quaerentium. Tanta vis est commendationis et amabilitatis in his rebus, quas diximus, vt etiam erratorum, si qua iuuentus eadem adfert, faciliorem longe paratioremque veniam consequatur. Quid enim frequentius audias, vbi de iuuenum peccatis, his etiam, a quibus iure principes refugiunt, mentio incidit, quam illud, iuuenis est, accedent anni, et ista, in quibus iam offendere videtur, decedent. Scilicet vt ipsa bonae spei plena est iuuentus, ita de illa etiam bene sperant alii, nec iniuria: cum non ita rara sint eorum exempla, in quibus aut remissiorem iusto iuuentutem, aut feruentiorem, moderata omnia consecuta sunt. Quin, sicut in vinis videmus, si quid acerbi habent vel asperi, vel propter nimiam dulcedinem ingrati, ea accedentibus aliquot annis ita emendari, vt ipsa illa vitia bonam de futuro spem concitent: sic ipsa quaedam vitia iuuentutis signa ad bene de futuro tempore sperandum videntur. Versarer forte in hoc argumento paullo copiosius, nisi partim adessent, qui quantumuis vera sui doctoris oratione male suo malo abuti possent; partim vero ea patriae nostrae contigisset felicitas, vt adhuc quidem, et versatus sum

apud

apud exteros, qui incorruptius iudicare solent, quod amoris ac odii causas procul habent, nihil de sereniſſimo noſtro principe me audiuiſſe liquido iurare poſſim, in quo ille veniam magis, quam laudem, mereri videretur. Itaque plane de illo iuuentutis fauore tacuiſſem, niſi eam vim haberet, vt intelligatur, quanta vis commendationis ſit in ea aetate, quae ad ipſa etiam vitia excuſanda valeat. Quam amabilis proinde princeps annis florens, cuius etiam erratis ita facilis propoſita ſit venia? Supereſt illa pars orationis noſtrae, A A. vbi de felicitate principis iuuenis aliquid dicendum eſt, magna profecto re, et quae vel ſola facere beatam remp. queat, cum, de veriſſima ſapientiſſimaque CAROLI WILHELMI FRIDERICI noſtri ſententia felix eſſe princeps, niſi rep. ſalua, non poſſit. Felicitatem in imperatore ad bellum gerendum deligendo ſpectari vult Tullius, et ita neceſſariam putant barbari quidam noui orbis incolae, vt iurare nouum regem cogant, ſe curaturum, ne ventis vehementibus, aut immoderatis tempeſtatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus noceatur, fruges perdantur, et id genus alia, quae quidem proprie ad felicitatem pertinent, h. e. euentus ſecundi, quorum cauſſae in manu hominum, quibus contingunt, poſitae, et ab eorum viribus profectae, dici nequeunt. Sed nobis magna hic moderatione opus eſt, ne vel dicamus aliquid, quod quale ſit ipſi non intelligamus, vel in diuinae prouidentiae rationes ſimus iniurii. Ergo probamus quidem, ſi recte intelligatur, Caroli V. vocem, qui puellam eſſe dicebat fortunam, iuuenibus quam ſenibus amiciorem: nouimus iuuenes feliciſſimos, Alexandrum M. Scipionem Africanum, et, ne a familia Brandenburgica abeamus, FRIDERICVM WILHELMVM, qui iure ſuo magni cognomen adeptus eſt: ſed iidem arbitramur, non magica quadam vi, aut plane occulta lege deuinctam

&tam ſibi, et in ſua quaſi naui habere fortunam principes iuuenes, verum in his ipſis rebus, quas imperanti iuuentuti alioquin conſtat ineſſe, quaerendas eſſe euentorum cauſſas, quae fortunae aſſignari vulgo ſolent, putamus. Felicitas bellica celebratur Alexandri M. et Caroli XII. regis Sueciae, iuuenis vtriuſque. Videamus, an non magnae in vtroque partes fuerint audaciae et ardoris cuiuſdam, non nimis ſemper conſulti. Quod igitur temeraria etiam horum conſilia feliciter euenere, illud tum eorum, quibuſcum res illis fuit, ignauiae tribuendum apparet, tum, quae numquam excludenda eſt, gubernanti omnia prouidentiae diuinae. Sed hoc tamen negari non poteſt, non geſturum videri ſenem, quae duo adoleſcentes perfecerunt. Vt hic audacia fecit fortunam, ita aliis in rebus regnat illa, quam ante laudauimus, florentis ætatis amabilitas, quae quantum valeat in nuptiis conciliandis, magno plerumque ad felicitatem vel infelicitatem momento; in conditiouibus aequis ab eo, quocum agitur, impetrandis, ex ſuo quiſque ſenſu, ſuaque experientia, facile exiſtimabit. Putatiſne A A. a potentiſſimo Pruſſorum rege impetraturum fuiſſe, quod ſereniſſimus princeps noſter impetrauit, aliquem minus aetate, gratia, ſpe florentem? aut putatis ipſi negari poſſe quidquam, quod vehementer ſe cupere coram oſtenderit, a quoquam, qui non humanitatis et venuſtatis ſenſum prope exuerit? Si quis igitur princeps huic noſtro ſimilis comitate ſua et venuſtate impetrauerit difficile quidquam, praeſto ſunt, qui felicitatem illius praedicent. Accedit et illud in principibus iuuenibus ad rem bene gerendam magnum praeſidium, quod fortunae imputari non numquam ſolet, ſpes, quam de illis merito concipiunt homines, quae facit, vt illos deuincire ſibi, et beneuolentia adiungere ſtudeant, de qua quidem, cum ex his, quae ante dicta ſunt, ſatis exiſtimari poſſit, nunc

tanto

tanto lubentius taceo. Ac in vniuersum tempus videtur contrahendi vela, ac id agendi, cuius proprie caussa in hunc locum et conspectum vestrum, AA. longe venerabilem progredi ausus sum. Salue igitur, CAROLE WILHELME FRIDERICE, prudens, amabilis, felix. Salue, inquam, et, quod facere instituisti, orationem nostram exemplo tuo exceptione omni maiore ita comproba, vt vix aliquam ego partem attigisse bonorum videar, quae ex imperio principis iuuenis percipit res publica. Gustum nobis dedisti illum, qui non potest non in eam nos spem adducere, futurum, vt habeamus te principe florentissimam rem publicam, et quatenus verbo huic inter mortales locus est, beatam. Difficile non esset, neque ingratum huic panegyri, quaecumque hac oratione de principe iuuene, magno rei publicae bono dicta sunt, ad te transferre, et quaecumque in florenti aetate laudantur, ea in te esse ostendere, quidquid autem vitiosum est, plane abs te remotum. Sed inter maximas laudes tuas numeramus merito diuinam illam modestiam, vel primum aetatis tuae ornamentum, qua laudes respuis etiam citra cuiusquam inuidiam tibi debitas, quasque sine adulationis crimine commemorare aliquis posset. Huic ita iam obsequimur, vt hac ipsa re primum obsequii nostri et pietatis tibi specimen exhibeamus. Scilicit ad sacrum puluinar tuum prouoluti, CAROLE WILHELME FRIDERICE, princeps ac patriae pater indulgentissime, quam nascendi tibi iure non magis, quam virtutis tuae nomine debemus, spondemus tibi subiectissimorum ciuium fidem, obedientiam, pietatem, qui vel docendis bonis litteris, vel discendis id agimus, vt non desint futuro tempore, qui, quae sapientissime tu atque amantissime de salute ciuium tuorum cogitaueris, ea vel populo ad religionem erudiendo, vel iure incorrupte dicendo, vel aliis artibus rei publ. salutaribus, perficiant, quamque tu destinasti populo tuo felicitatem, eam pro sua quisque conditione et loco, singulis impertiant. Quemadmodum nihil ita magnificum dici posse de iuuenum imperio persuasum habemus, quod non in tuam, sereniissime princeps, aetatem atque vitam ad amussim conueniat; ita Deum immortalem summis obtestamur precibus, vt in te, sereniissime princeps, experiun-

periundo tandem aliquando discere velit patriam, cui bonos principes ostendit magis, quam dedit ad hunc diem, quanta bona sequantur virilem aetatem, et senectutem adeo vltimam eorum principum, qui florem aetatis in virtute colenda, et procuranda suorum salute exegerint. Ita est supreme, idemque sapientissime rerum nostrarum arbiter, ita animum induximus, vt nullum abs te maius beneficium huic toti populo expetere posse videamur, quam vitam CAROLI WILHELMI FRIDERICI nostri et felicitatem. Nos ipsi, tibi ipsum tradimus, hominum custos, tuendum, tibi ornandum commendamus, tibi volumus esse, vt ipse nobis est, carissimum. Coniecti sunt in illum oculi omnium, tamquam in Palladium et certissimum salutis publicae pignus, a te ipso summae beneuolentiae, et prouocati nullo nostro merito amoris, caussa concessum. Da nobis, pater, hanc mentem, vt recte illo munere tuo vtamur. Da illi, qui corda regum in manu habes, vt te; nobis, vt illum strenue ad te sequamur. Et quandoquidem hoc etiam munus adiecisti, ut coniugem ipsi dares, qualem vix sperare, vix petere ausi fueramus, FRIDERICAM LOISAM, in qua regii sanguinis splendor decoribus aliis vel vincitur, vel illustratur: etiam hanc suscipe, Deus, et sereniissimi coniugis sui salutem, id est, nostram omnium felicitatem curare iube vt amantissime, ita diutissime. Ita de nobis vel sapienter gubernanda rep., vel quod talem nobis peperit, talem educauit principen, merita est sereniissima CHRISTIANA CHARLOTTA, mater per filium patriae, vt impii simus, nisi etiam preces pro hac interponamus. Da illi, salutis omnis fons et auctor, vt, qui pertinaciter illam premit, morbus, tandem cedere precibus nostris tuo nutu cogatur. Da, vt quantum illa molestiarum exhausit, tantum et longe plus iucunditatis et piae voluptatis ex filii suis rebus, praeclare gerendis, coniugio, liberis, nepotibusque quam diutissime percipiat. Da, pater, sereniissimo principi, vt summam votorum hodiernorum colligamus, vitam longam, familiam beatam, consiliarios probos, populum fidelem, et si quae alia vel boni principis, vel pro optimo principe bonorum ciuium vota sunt.

Fiat! Dixi.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0140
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853697567/phys_0146
DFG

xv. terris oſtenſum, atra dies
DCCXVI. abſtulit, et acerbo
uantumeumque doloris habue-
ignorum mortes, vix tamen
moeroris, in quam coniecit
IDIDCCXXIII. dies triſtiſſima
ſignatus, quo mortalis eſſe de-
orum et virtutis gloria princeps,
ERICVS, cui ipſa moribundo,
u caeleſtem animam reddenti,
batur, quam *commorientium* ce-
ſanctius illam vitae et fidei in-
qui ipſi vltimo voluntatis ſuae
nde facile intelligeres, quid de
rtute, poſt plurium annorum
ri iudicio ſuo, ſuoque in vni-
ſuos amore, exiſtimaret. Ho-
et illius tutelam teſtamento
dem, vt ſummae omnium re-
de his, quae extra ditionem
genda eſſent, conſilia commu-
ribus, quos rogauerat, ſereniſ-
EORGIO WILHELMO, Culm-
RNESTO LVDOVICO, Darm-
adminiſtros rerum et conſilio-
deo tutorium haberet eos, qui
nſilio intimo prudentiae et fidei
derant. Cum ratas habuiſſet
enti tabulas imperator auguſtiſſi-
bria ſanctis WILHELMI FRIDE-
cum dignitate perſoluta, fidei-
ciuibus praeſtitum, virili plane
ia heroica ſuſcepit imperium,